


169

XVII, 167.



Weber historia crit. Aug. Confessionis. tom 2. p. 26.

A
N

A
B
UC
C



0.26.

AUGVSTA^a NA CONFESSIO

Anno 1530. Imperatori

Carolo V. oblata.

invariata

Et:

Epitome ac declaratio

ARTICVLORVM, DE QVI-
BUS PASSIM CONTRO-
uersiæ fuerunt: ex libro Christianæ
Concordiæ desumpta, & in usum Pastorum,
Magistrorum & discipulorum in scholis
illustribus atque vrbicis peculiari-
ter & seorsim

edita. per Nic. Seluicium.

I 5



8 5+

LIPSIÆ,

CVM PRIVILEGIO.

M. Golewin

R E V E R E N D O
E T C L A R I S S. V. D.
I O H A N N I O F E A R I O S.
Theologiae Orthodoxae, ministerio
D. D. Lutheri nobis restituta Do-
ctori, & superintendenti Ecclesiae
Christi in rebus, & diocesi Sali-
narum Saxonicarum, vni-
us honorando.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



libellum, teorum eorum ad
tum pastorum & scholasticorum
tum, qui (tandem) eorum
dion Theologiam praecipua
vera religionis Christianae ca-
pita praeferet & amplius ex-
posita continens) ad manus
habe-



R
E
I
HT
D
B
O

REVERENDO
ET CLARISS. V. D.
IOHANNI OLEARIO S.
Theologiae Orthodoxae, ministerio
D. D. Lutheri nobis restitutæ Do-
ctori, & Superintendenti Ecclesiæ
Christi in repub. & dioecesi Sali-
narum Saxonicarum, fratri
suo honorando.

Nicolaus Selneccerus S.

Reverende Vir, fra-
ter in Christo colen-
de. Habes nunc, quæ
iam dudum voluisti,
libellum, seorsim editum ad v-
sum pastorum & scholastico-
rum, qui (tanquam enchiri-
dion Theologicum præcipua
veræ religionis Christianæ ca-
pita breuiter & simpliciter ex-
posita continens) ad manus
(;) 2 habe-

P R Æ F A T I O.

habere illum, sibiq; familiarem
facere poterunt. Vehementer
mihi placuit consilium tuum.
Multos enim & docentes & di-
scipulos doctrinam cœlestem in
Ecclesijs & scholis, meritò suæ
negligentiæ pudere debebat,
quòd Confessionis Augustanæ
se membra & discipulos, ac
Christianæ Concordiæ custo-
des agnosci volunt, & tamen
nondum vel capita & articulos
Confessionis illius, vel epito-
men & summam Concordiæ
cognouerunt. Ne igitur etiam
hac in parte aliquid in opera
nostra desideraretur, facile &
libenter consilio tuo obsecutus
sum, & seorsim capita ista (abs-
que Apologia & solidiore ex-
plicatione, quæ in libro Chri-
stianæ

P R Æ F A T I O.

Christianæ Concordiæ quærenda
est) hoc enchiridio compre-
hensa edere volui, vt seruire-
tur hac quoq; ratione cum pa-
storibus tum magistris & di-
scipulis, quibus modò cordi &
curæ est doctrinæ cœlestis cer-
titudò, & salus propria. De cæ-
teris enim, qui vel palàm, vel
subdolè in castra fanaticorum,
& aduersariorum nostrorum
se conferunt, & faciunt nã sa-
piendo & disputando, vt nihil
credant, sed ex Lucianistis seu
Caluinistis Epicuræi, empæctæ,
ethnici, & osiores verbi Christi
magis magisq; fiant, cura nobis
esse non debet amplius, secun-
dum illud Pauli: Hæreticum
hominem post vnam & alte-
ram admonitionē reñce, sciens,

(*) 3

quòd

P R Æ F A T I O .

habet, qui iudicet eum: Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.

Proderit autem hic libellus etiam ijs, qui saniores sunt & sanabiles, vt ex eo calumnias empæctarum intelligere & detestari discant, ac facilius veritati cedant & credant, ac salui fiant. Item ijs, qui ex huius libelli lectione veræ doctrinæ capita & summã perceperunt, vt postea integrum volumen Christianæ Concordiæ, maiori animi desiderio & maiore vtilitate perlegere possint, & in primis, vt ad lectionem sacrorum Bibliorum, & scriptorum Lutheri inuidentur, ac in simplicitate veræ fidei constanter & piè viuant, ac placidè mori queant:

P R Æ F A T I O.

queant : id quod cœtus ille
Christianorum, quos Luthera-
nos vocant, læta & quieta con-
scientia per Dei gratiam sem-
per & vbique facere potest,
cum alij, qui verbo Christi non
simpliciter innituntur, illud
præstare non possint, sed pen-
deant incerti, & hæsitent, ac
sæpe & dubios gemitus & tri-
stes fremitus edant. Filius Dei
Dominus noster Iesus Chri-
stus hanc etiam opellam nostrã
dirigat ad gloriam & laudem
diuinissimi sui nominis, & ad
Ecclesiæ decrepitæ & subinde
decrepantis recreationem, &
ad multorum salutem. Huic Fi-
lio Dei, Deo & fratri nostro
omnipotenti, te & tuam Eccle-
siam, & omnes pios doctores
&

P R Æ F A T I O.

& auditores, in primis, magi-
stratum politicum, fouentem
Christi discipulos in his terris
& alibi, ex animo commen-
do. Saluta collegas VV. reue-
rendos, & alios amicos no-
stros, ac ora pro me orante pro
te. Bene & feliciter vale.

Lipsiæ mense Martio

1585.



(;) 5

VER.

VERSIOR SALMI

LXXIIII

Quam dilecta tabernacula tua Do-
mine Sabaoth.

In toto nihil esse potest amplius carum orbe

Quam tua templa Domine

Hac mihi sunt dilecta in toto corde & omni

Tempore viua quiescitur

Amplius carum Domine Deus inuentus

Tempore viua quiescitur

Nihil aliud specto. Præter desiderium templi

Vivere posse mihi

Hæc sit summa mea fortuna. Nequid arbor

Ad tua testa Domine

Deliciae alia est. In gaudia peruenit

Me tua templa iuuant

Quidquid sum. mea mens. ratio. vox. lingua

Omnes consistunt. (voluntates)

Hæc tendit. factus ardentes. angelus ad alios

Ei tua templa parat

Corporis hæc. animas. nec sit summa voluptas

Si tua templa colam

Inq. Deo viua mihi vniuersa gaudia viuunt

Gaudia viua Deo

Abq. Deo nec vita placet. nec gaudia vniuersa

Sechne sine dolor

Passer habet certam sub testis. Et in arbore sedet

Nihilum mirando parat

Quis

VERSIO PSALMI
LXXVIII.

Quam dilecta tabernacula tua Do-
mine Zebaoth.

In toto nihil esse potest mihi carius orbe,
Quam tua templa, Deus.

Hac mihi sunt dilecta, mei cor cordis, & omni
Tempore viua quies.

Armipotens, pacisq; Deus, Deus vnice tutor,
Tu mihi vera salus.

Nil aliud specto, prater sub culmine templi
Viuere posse tui.

Hac fit summa mea fortuna, pectoris ardor
Ad tua tecta, Deus.

Delicias alias alij, sua gaudia querant,
Me tua templa iuuant.

Quidquid sum, mea mens, ratio, vox, lingua,
Omneq; consilium, (voluntas,

Huc tendit, sacras ardentem anhelat ad ades,
Et tua templa petit.

Corporis hac, animaq; mea stat summa voluptas,
Si tua templa colam.

Inq; Deo viuo mihi viuuda gaudia viuunt,
Gaudia viua Deo.

Absq; Deo nec vita placet, nec gaudia restant,
Sed siue sine dolor.

Passer habet certam sub tecto, & in arbore sedē:
Nidulum hirundo parat:

Quaeq;

Quaeq; auis & pullum, venturum educit in an-
Sub lare tata cubans: (num,
En patiens ego sum passer, sum turtur, hirundo,
Et mihi quero locum,
Inuenioq; tuas sedem latatus ad oras,
Hic vbi tutus agam.
Pacis & armorum Deus arbiter esq; manesq;
Rex mihi, Vita mihi.
Felices verè, felices terq; quaterq;
Qui tua tecta habitant.
Hi tua mitis auis, sacro tua pignora flatu,
Suavis & Halcyone,
Inueniunt nidum, medijs famulantibus vndis
Hic & vbiq; maris.
Progenantq; Deo cultores, semine verbi,
Pignora cara Deo.
Et quamuis mundus fremat, accumulatq; procel-
Et mala multa ferat, (las,
Victores tamen euadunt, palmamq; reportant,
Continuando preces,
Te laudant, celebrantq; tibi pia carmina pan-
Pro bonitate tua. (gunt
Felices iterum, qui te sibi robur ab vno,
Non aliunde, petunt,
Et tua sincero vestigia corde sequuntur,
Ac tua iussa colunt.
Quiq; per hanc plenã lachrymis & pondere val-
Ire redire solent, (lem
Et fontes fodiunt vena manante salubres,
Limpida poela bibunt,
Non

Non corruptelas, non feces fontibus vllas,
Aut vitium esse sinunt.
Doctores, quibus est cordi doctrina salubris,
Præmia magna ferunt,
Ornat eos summis cæli benedictio donis,
Et graue numen habent.
E virtute in virtutem victoria transit,
Fortia corda vigent,
Vt videant alij, dicantq̄, Sionidos vnus
Est sine labe Deus,
Non alius Deus est, claro quàm lumine verbi
Qui patefactus adest.
Armipotens, pacisq̄ Deus, Deus optime vindex,
Quas fero, sume preces:
Qui Deus Isacidum celebraris carmine, supplex
Quæ fero, vora probes.
Tu Deus es scutum nostrum, fortissima turris,
Tu framea, & clypeus.
Aspice defensor, desertos respice tutor,
Propitiusq̄ veni:
Christi regna tui, sacri diademata Regis
Ipse tuere, tui.
Sceptra magistratus nostri tu dirige, flatu
Cunctipotentæ tuo.
Vna dies melior diuini ad limina templi
Viuerè posse datur,
Quàm sunt mille dies alij sub culmine cæli,
Omnis & orbis opes
Malo fores seruus recludere, paruus & esse
Ad tua templa, Deum,

Maloq̄

Maloq̄ nullius momenti viuere spretus,
Pars quot acunq̄e chori,
Viuere quam celsis reproborum celsus in aulis,
Qui pietate carent.
Diuitias & splendores alij sibi captent,
Me iuuat esse trauum.
Sim pauper, sim reiectus, traductus, & orbis,
Sim tuus, eia, sat est.
Nam Deus ipse mihi Sol est, mihi nobile robur,
Me fouet, & recreat.
Dat Dominus pro contemptu retributor honores,
Præmia multa pijs.
Quos mundi scelus oppressit, nunc gratia cæli
Euehit, ornat, amat:
Ipse suis clemens donum Deus omne ministrat,
Et comes à latere est.
Armipotens, pacisq̄ Deus, tibi fidere doctus,
Cuncta beatus habet.

N. Selnec.

Gleich



Gleich wie sein hauß der Vogel bawt/
Die Schwalb auch auff jr nestlein schawt/
Also tracht ich nu ganz vnd gar
Herr Ihesu Christ/ nach dein Altar.

Hilff mir O Herr durchs jämertal/
Gib deinen Dienern vberal/
Das sie dein Brunnlein leiten recht/
Das wir bhalten den glauben schlecht.

Viel besser ist in deiner Gemein/
Der aller geringst vnd wenigst sein/
Denn sonst der herrlichst in der Welt
Vol reichthumb/ glück/ ehr/ gut vnd gelt.

Du bist d Herr/ liecht/ Sonn vñ schild/
Gibst gnad vnd ehr/ bist gut vnd mild/
Hilff Herr/ den glauben in vns mehr/
Vnd vnser hertz zu dir befer.

A M E N.

TRIA
BOLA
SYMBOLUM
Ecclesia
Christi
in
terris
regnat
et
in
caelis
dominat
Et
in
iudicio
viva
et
regna
et
domina
et
in
iudicio
viva
et
regna
et
domina



I
TRIA SYM-
BOLA CATHO-
LICA SEV OECV-
MENICA.

Symbolum Aposto-
licum.



REDO IN
DEVM: Patrem
omnipotentem, Crea-
torem Cœli & terræ.
Et in Iesum Chri-
stum, Filium eius vni-
cum, Dominum nostrum. Qui conce-
ptus est de Spiritu sancto, Natus ex Ma-
ria virgine. Passus sub Pontio Pilato.
Crucifixus, mortuus & sepultus: descē-
dit ad inferna, tertia die resurrexit
à mortuis. Ascendit ad cœlos. Sedet ad
dexteram Dei patris omnipotētis. Inde
venturus est iudicare viuos & mortuos.

Credo in Spiritum sanctum: San-
ctam Ecclesiam Catholicam: Sancto-
rum communionem: Remissionem pee-
catorum

catorum: Carnis resurrectionem: Et
vitam æternam, A M E N.

Symbolum Nicenum.



R E D O in vnum D e u m:
Patrem omnipotentem, fa-
ctorem cœli & terræ, visibi-
lium omnium & inuisibi-
lium.

Et in vnum Dominum I E S V M
Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex
Patre natum, ante omnia secula: Deum
de Deo, Lumen de lumine, Deum verum
de Deo vero: genitum, non factum, con-
substantialem Patri, per quem omnia
facta sunt. Qui propter nos homines &
propter nostram salutem descendit de
cœlis, & incarnatus est de Spiritu san-
cto, ex Maria virgine: & H o m o factus
est: crucifixus etiam pro nobis, sub
Pontio Pilato, passus & sepultus est: &
resurrexit tertia die secundum Scriptu-
ras: & ascendit ad cœlos, sedet ad de-
xteram Patris, & iterum venturus est in
gloria, iudicare viuos & mortuos, cuius
regni non erit finis.

Et in

Et in Spiritum sanctum, Dominum,
 & viuificantem: qui ex Patre Filioq;
 procedit: qui cum Patre & Filio, simul
 adoratur & glorificatur: qui locutus
 est per Prophetas. Et vnā sanctam Ca-
 tholicam & Apostolicam Ecclesiam.
 Confiteor vnum Baptisma, in remissio-
 nem peccatorum: & expecto resurre-
 ctionem mortuorum, & vitam venturi
 seculi, AMEN.

Symbolum Athanasij,
 contra Arrianos
 scriptum.



QUICVNQUE vult saluus
 esse, ante omnia opus est, vt
 teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque inte-
 gram inuiolatamq; serauerit, absq; du-
 bio in aeternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est,
 vt vnum Deum in Trinitate: & Trinita-
 tem in vnitatem veneremur.

Neque confundentes personas, ne-
 que substantiam separantes.

S Y M B O L I V M

Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.

Sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas, & qualis gloria, coaeterna maiestas.

Qualis Pater, talis filius, talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres aeterni, sed vnus aeternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed vnus increatus & vnus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dij sunt: sed vnus est Deus.

Ita

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed vnus est Dominus.

Quia sicut singulatim vnamquamque personam Deum ac Dominum confiteri, Christiana veritate compellimur.

Ita tres Deos, aut tres Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Vnus ergo Pater, non tres Patres: vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus.

Sed totæ tres personæ, coæternæ sibi sunt & coæquales, Ita, vt per omnia, sicut iam supra dictum est, & Trinitas in vnitatem, & vnitas in Trinitate veneranda sit.

Qui vult ergo saluus esse, ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad

æternam salutem, vt incarnationem
quoq; Domini nostri Iesu Christi, fide-
liter credat.

Est ergo fides recta, vt credamus &
confiteamur, quia Dominus noster Ie-
sus Christus Dei Filius, Deus & ho-
mo est.

Deus ex substantia Patris ante se-
cula genitus, & homo ex substantia ma-
tris in seculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo ex
anima rationali, & humana carne sub-
sistens.

Æqualis Patri secundum diuinita-
tem, minor Patre secundum humani-
tatem.

Qui licet Deus sit & homo, non
duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus
autem non conuersione diuinitatis in
carnem, sed assumptione humanitatis in
Deum.

Vnus omnino non confusione sub-
stantiæ, sed vnitæte personæ.

Nam sicut anima rationalis & caro
vnus est homo: ita Deus & homo, vnus
est Christus.

Qui passus est pro nostra salute:
descen-

descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cœlos: sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum, omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.

Et reddituri sunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit.



CONFESSIO


FIDEI EXHIBITA

INVICISSIMPERAT

Carolo V. Caesari Augusti

in Comitibus Augustae

Anno 1530.



PRÆFATIO

AD CAESAREM

Carolum V.

INVICISSIMPERAT
me Imperator, Ca-
sar Auguste, Domi-
ne Clementissime
Cum V. C. M. in
dixerit convenimus Imperij Augustae
ut delibetur de auxilijs contra Tur-
cos



⁵
CONFESSIO


FIDEI EXHIBITA

INVICTISS. IMPERAT.

Carolo V. Cæsari August.

in Comitijs Augustæ,

Anno 1530.



PRÆFATIO

AD CÆSAREM

Carolus V.



INVICTISSI-
me Imperator, Cæ-
sar Auguste, Domi-
ne Clementissime.
Cùm V. C. M. in-
dixerit conuentum Imperij Augustæ,
vt deliberetur de auxilijs contra Tur-

A 5 cam

P R A E F A T I O

cam atrocissimum hereditarium, atque
 que veterem Christiani nominis, ac
 religionis hostem, quomodo illius
 scilicet furori & conatibus, durabili
 & perpetuo belli apparatu resisti pos-
 sit. Deinde & de dissensionibus in
 causa nostrae sanctae religionis &
 Christianae fidei, & ut in hac causa
 religionis, partium opiniones, ac
 sententiae inter sese, in caritate, leni-
 tate, & mansuetudine mutua audian-
 tur coram, intelligantur & ponde-
 rentur, ut illis, quae utrinque in Scri-
 pturis secus tractata aut intellecta
 sunt, sepositis & correctis, res illae ad
 vnam simplicem veritatem & Chri-
 stianam concordiam componantur
 & reducantur, ut de caetero a nobis
 vna, sincera & vera religio colatur,
 & seruetur, ut, quemadmodum sub
 vno Christo sumus & militamus: ita
 in vna etiam Ecclesia Christiana, in
 vnitae & concordia viuere possi-
 mus.

Cumq; nos infra scripti Elector
 & Prin-

& Principes, cum alijs, qui nobis coniuñcti sunt, perinde vt alij Electores & Principes & Status ad præfata Comitiam euocati sumus, vt Cæsareo mandato obedienter obsequeremur, maturè venimus Augustam. Et quod citra iactantiam dictum volumus, inter primos affuimus.

Cùm igitur V. C. M. Electoribus, Principibus & alijs Statibus Imperij, etiam hic Augustæ sub ipsa initia horum Comitiorum inter cætera proponi fecerit, quod singuli Status Imperij vigore Cæsarei edicti, suam opinionem & sententiam in Germanica & Latina lingua proponere debeant atque offerre. Et habita deliberatione proxima feria quarta, rursum responsum est V. C. M. nos proxima feria sexta Articulos nostræ confessionis pro nostra parte oblaturos esse. Ideo vt V. C. M. voluntati obsequamur, offerimus in hac religionis causa nostrorum Concionatorum, & nostram confessionem, cuiusmodi

P R A E F A T I O

modi doctrinam ex Scripturis sanctis, & puro verbo Dei, haecenus illi in nostris terris, ducatus, ditionibus & urbibus tradiderint, ac in Ecclesijs tractauerint.

Quod si & caeteri, Electores, Principes, ac Status Imperij, similibus scriptis Latinis scilicet & Germanicis, iuxta praedictam Caesaream propositionem, suas opiniones in hac causa religionis produxerint, hic nos coram V. C. M. tanquam domino nostro clementissimo paratos offerimus, nos cum praefatis Principibus & amicis nostris, de tolerabilibus modis ac vijs amicè conferre, vt quantum honestè fieri potest, conueniamus, & re inter nos partes, citra odiosam contentionem pacificè agitata, Deo dante, dissensio dirimatur, & ad vnã veram concordem religionem reducatur: Sicut omnes sub vno Christo sumus, & militamus, & vnum Christum confiteri debemus, iuxta tenorem edicti V. C. M. & omnia ad
 veri-

veritatem Dei perducantur, id quod
ardentissimis votis à Deo petimus.

Si autem, quod ad cæteros Ele-
ctores, Principes & Status, vt partem
alteram attinet, hæc tractatio causæ
Religionis, eo modo, quo V. C. M.
agendam & tractandam sapienter
duxit, scilicet, cum tali mutua præ-
sentatione scriptorum ac sedata col-
latione, inter nos non processerit,
nec aliquo fructu facta fuerit, nos
quidem testatum clarè relinquimus,
hic nihil nos quod ad Christianam
concordiam (quæ cum Deo & bona
conscientia fieri possit) conciliandam
conducere queat, vlllo modo detre-
ctare. Quemadmodum & V. C. M.
deinde & cæteri Electores, & Status
Imperij, & omnes, quicunq; sincero
religionis amore ac studio tenentur,
quicunq; hanc causam æquo animo
audituri sunt, ex hac nostra & nostro-
rum confessione hoc clementer co-
gnoscere & intelligere dignabuntur.

Cum etiam V. C. M. Electoribus,
Prin-

Principibus & reliquis Statibus Imperij non vna vice, sed saepe clemēter significauerit, & in Comitijis Spirensibus, quæ anno Domini & c. XXVI. habita sunt, ex data & præscripta forma vestrae Cæsareæ instructionis & cōmissionis recitari, & publicè prælegi fecerit: Vestram M. in hoc negotio religionis ex causis certis, quæ V.M. nomine allegatae sunt, non velle quicquam determinare, nec concludere posse, sed apud Pontificem Romanum pro officio V.C.M. diligenter daturam operam de congregando Concilio generali. Quemadmodum idem latius expositum est ante annum in publico proximo cōuentu, qui Spiræ congregatus fuit. Vbi V.C.M. per dominum Ferdinandum Boëmiæ & Vngariæ Regem, amicum & dominum clementem nostrum, Deinde per Oratorem, & Cōmissarios Cæsareos, hæc inter cætera proponi fecit, quod V.C.M. intellexisset & expendisset Locum tenentis.

tis. V. C. M. in imperio, & præfiden-
 tis & Consiliariorum in Regimine,
 & Legatorum ab alijs Statibus, qui
 Ratisponæ cōuenerant, deliberatio-
 nem de Concilio congregando. Et
 quod iudicaret etiam V. C. M. utile
 esse, vt congregaretur Concilium, &
 quia causæ, quæ tum tractabantur in-
 ter V. C. M. & Rom. Pontificem, vi-
 cinæ essent concordia & Christianæ
 reconciliationi, non dubitaret V. C.
 M. quin Rom. Pontifex adduci pos-
 set ad habendum generale Concili-
 um. Ideo significabat se V. C. M. ope-
 ram daturam vt præfatus Pontif. Ma-
 ximus vnâ cum V. C. M. tale genera-
 le Concilium, primo quoq; tempore
 emissis literis publicandum congre-
 gare consentiret.

In euentum ergo talem quod in
 causa religionis, dissensiones inter
 nos & partes amicè & in caritate non
 fuerint compositæ, tunc coram V. C.
 M. hic in omni obedientia nos offe-
 rimus, ex superabundanti compari-
 tuos

PRAEF. AD CAROL. V.

turos & causam dicturos in tali generali libero & Christiano Concilio, de quo congregando in omnibus Comitibus Imperialibus, quæ quidem annis Imperij V. C. M. habita sunt per Electores, Principes & reliquos Status Imperij, semper concorditer actum, & congruentibus suffragiis conclusum est. Ad cuius etiam generalis Concilij conuentum, simul & ad V.C.M. in hac longè maxima & grauissima causa, iam ante etiam debito modo & in forma iuris prouocauimus, & appellauimus. Cui appellationi ad V. C. M. simul & Concilium adhuc adhaeremus, neq; eam per hunc vel alium tractatum (nisi causa inter nos & partes, iuxta tenorem Cæsareæ proximæ Citationis amicè in caritate composita, sedata, & ad Christianam concordiam reducta fuerit) deserere intendimus aut possumus, De quo hic etiam solenniter & publicè protestamur.

ARTI-

V. JORAN⁹
ARTICVLI

FIDEI PRÆ

CIPV I.

I.

ECCLESIAE MAGNO
consensu apud nos docent,

* Decretum Nice-
næ Synodi, de vni-
tate essentiæ diui-
næ, de tribus per-
sonis verum & sine

* *Theod. lib. 1. ca. 12.*
Socrat. lib. 1. cap. 8.
hist. Eccl. lib. 10. ca. 6.
* *Tripart. lib. 2. ca. 9.*

vlla dubitatione credendum esse. Vide-
licet, quod sit vna essentia diuina, quæ
& appellatur & est Deus, æternus, in-
corporeus, impartibilis, immensa po-
tentia, sapientia, bonitate, creator &
conseruator omnium rerum, visibilium
& inuisibilium, & tamen tres sint perso-
næ, eiusdem essentiæ, & potentiæ, & co-
æternæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.
Et nomine personæ vtuntur ea signifi-
catione, qua vsi sunt in hac causa Scri-
ptores Ecclesiastici, vt significet non

B

partem

partem aut qualitatem in alio, sed quod
 proprie subsistit. *¶* Damnant omnes hareses, contra
 hunc articulum exortas, vt *†* Manichae-
 os, qui duo princi- *†* Epiphian. lib. 2. To. 2.
 pia ponebant, Bo- *Augustin. Tom. 6.*
 num & Malū, item *†* Gnosticos, Irenaeus &
Epiphian. li. 1. Tom. 2.
† Valentiniānos, *†* Tripart. li. 1. ca. 12.
vsq. ad lib. 3. cap. 10.
† Arianos, * Eu- *Epiph. lib. 2. Tom. 2.*
 nomianos, * Ma- ** Tripart. lib. 5. cap.*
 hometistas & o- *13. 14.*
 mnes horum simi- ** Zonaras lib. 3. in*
 les. Damnant & *historia Heraclij. Et*
 9 Samosatēnos, ve- *Fr. Ricardus.*
 teres & c neoteri- *9 Euseb. lib 7. cap. 23.*
 cos, qui, cum tan- *Epiph lib. 2. Tom. 2.*
 tūm vnā person- *c Seruetum, qui anno*
 nam esse contē- *1553. die 7. Oct. Ge-*
 dant, de verbo & *neue in Subaudia com-*
 de Spiritu sancto *bustus est.*
 astutē & impiē rhe-
 toricantur, quod
 non sint personae
 distinctae, sed quod verbum significet
 verbum vocale, & spiritus motum in re-
 bus creatum.

II.

Item

Item docent, quòd post lapsum
 Adæ omnes homines secundum natu-
 ram propagati, nascantur cum pecca-
 to, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia er-
 ga DEVM, & cum concupiscentia,
 quodq; hic morbus, seu vitium originis
 verè sit peccatum, damnans & afferens
 nunc quoq; æternam mortem, his qui
 non renascuntur, per Baptismum & Spi-
 ritum sanctum.

Damnant † Pe-
 lagianos, & alios
 qui vitium originis
 negant esse pecca-

† *Augustin. in 7. Tom.
 Synodus Carthaginen-
 sis & Mileuitana.*

tum, & vt extenuent gloriam meriti, &
 beneficiorum Christi, disputant homi-
 nem proprijs viribus rationis coram
 Deo iustificari posse.

III.

Item docent, quòd Verbum, hoc
 est, Filius Dei, assumerit humanam na-
 turam in vtero beatæ Mariæ virginis, vt
 sint duæ naturæ, diuina & humana, in
 vnitæte personæ inseparabiliter coniun-
 ctæ, vnus Christus, verè Deus, & verè
 homo, natus ex virgine Maria, verè pas-

B 2 sus.



VI ARTICVLI FIDEI

sus, crucifixus, mortuus & sepultus, vt reconciliaret nobis Patrem, & hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem descendit ad inferos, & verè resurrexit tertia die, deinde ascendit ad cœlos, vt sedeat ad dexteram Patris, & perpetuò regnet, & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu sancto, qui regat, consoletur ac viuificet eos, ac defendat aduersus diabolum, & vim peccati. Idem Christus palàm est rediturus, vt iudicet viuos & mortuos, &c. iuxta Symbolum Apostolorum.

IIII.

Item docent, quòd homines non possint iustificari coram Deo proprijs viribus, meritis aut operibus, sed gratis iustificentur propter Christum per fidem, cum credunt, se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte, pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro iustitia coram ipso, Rom. 3. & 4.

V. Vt

Vt hanc fidem consequamur institutum est ministerium docendi Evangelij & porrigendi Sacramenta. Nam per Verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando visum est Deo in ijs, qui audiunt Evangelium, scilicet, quod Deus non propter nostra merita, sed propter Christum iustificet, hos qui credunt, se propter Christum in gratiam recipi.

Damnant Anabaptistas & alios, qui sentiunt, Spiritum sanctum contingere sine verbo externo hominibus per ipsorum preparationes & opera.

V I.

Item docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera, mandata à Deo facere, propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera iustificationem coram Deo mereri. Nam remissio peccatorum & iustificatio fide apprehenditur, sicut testatur & vox Christi, Cùm feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles

B 3

sumus.

SI ARTICULO FIDEI

sumus. Idem docent & veteres Scriptores Ecclesiastici. † Ambrosius enim inquit, Hoc constitutum est à Deo, vt † In princip. comment. qui credit in Christum, saluus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum. *in. 1. Cor. 1. Tom. 5. pag. 244. Vide similes sententias ad Rom. 3. 4. 2. Corinth. 3. 2. Tim. 2.*

V I I.

Item docent, quod vna sancta Ecclesia perpetuò mansura sit. Est autem Ecclesia congregatio sanctorum, in qua Euangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta. Et ad veram vnitatem Ecclesiæ, satis est consentire de doctrina Euangelij & administratione Sacramentorum. Nec necesse est ubiq; esse similes traditiones humanas, seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus: Vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium, &c.

V I I I.

Quanquam Ecclesia propriè sit
con-

congregatio sanctorum, & verè creden-
tium, tamen cum in hac vita multi hy-
pocrita & mali admixti sint, licet uti Sa-
cramentis quæ per malos administran-
tur, iuxta vocem Christi, Sedent Scribæ
& Pharisei in cathedra Moyfi, &c. Et
Sacramenta & verbum propter ordina-
tionem & mandatum Christi sunt effi-
cacia, etiam si per malos exhibeantur.

Damnant * Do-
natistas & similes, * *Augustin. Tom. 7.*
qui negabant lice-
re uti ministerio malorum in Ecclesia, &
sentiebant ministerium malorum inuti-
le & inefficax esse.

I X.

De Baptismo docent, quòd sit ne-
cessarius ad salutem, quodq; per Bapti-
smum offeratur gratia Dei, Et quòd
pueri sint baptisandi, qui per Bapti-
smum oblato Deo recipiantur in grati-
am Dei.

Damnant Anabaptistas, qui im-
probant Baptismum puerorum, & affir-
mant pueros sine Baptismo saluos fieri.

X.

B 4

De

ARTICULI FIDEI

De Cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint & distribuuntur vescentibus in Cœna Domini, & improbant secus docentes.

XI.

De Confessione docent, quòd absolutio priuata in Ecclesijs retinenda sit, quanquam in Confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio. Est enim impossibilis iuxta Psalmum: Delicta quis intelligit?

XII.

De Pœnitentia docent, quòd lapsis post Baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocunque tempore cùm conuertuntur. Et quòd Ecclesia talibus redeuntibus ad pœnitentiam absolutionem impertiri debeat.

Constat autem pœnitentia propriè his duabus partibus, Altera est, contritio seu terrores incussi conscientie agnito peccato. Altera est, fides, quæ concipitur ex Euangelio, seu absolutione, & credit, propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Deinde sequi debent

bent bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ.

Damnant Anabaptistas, qui negant semel iustificatos posse amittere Spiritum sanctum. Item, qui contendunt quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, vt peccare non possint. Damnantur & * Nouatiani, qui nolebant absoluere lapsos post Baptismum redeuntes ad pœnitentiam. Reijciuntur & isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed iubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.

* Cyprian. li. 2. epist. 8.
 & lib. 4. epist. 2.
 Epiph. lib. 2. Tom. 1.
 Eusebius lib. 6. cap. 33. & 34.

XIII.

De vsu Sacramentorum docent, quod Sacramenta instituta sint, non modo vt sint notæ professionis inter homines, sed magis, vt sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his qui vtuntur proposita. Itaque vtendum est Sacramentis ita, vt fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ

B 5 per Sa-

A R T I C V L I F I D E I

per Sacramenta exhibentur & ostenduntur.

Damnant igitur illos qui docent, quod Sacramenta ex opere operato iustificent, nec docent fidem requiri in usu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata.

XIIII.

De ordine Ecclesiastico docent, quod nemo debeat in Ecclesia publice docere, aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatus.

XV.

De ritibus Ecclesiasticis docent, quod ritus illi seruandi sint, qui sine peccato seruari possunt, & profunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ, festa & similia.

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientia onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit.

Admonentur etiam, quod traditiones humanæ institutæ ad placandum Deum, ad promerendam gratiam & satisfactio-

tisfaciendum pro peccatis, aduersentur
Euangelio & doctrinae fidei. Quare vo-
ta & traditiones de cibis & diebus, &c.
instituta ad promerendam gratiam, &
satisfaciendum pro peccatis inutiles
sunt, & contra Euangelium.

X V I.

De rebus civilibus docent, quod
legitimae ordinationes civiles, sint bo-
na opera Dei, quod Christianis liceat
gerere Magistratus, exercere iudicia, iu-
dicare res ex Imperatorijs, & alijs prae-
sentibus legibus, supplicia iure consti-
tuere, iure bellare, militare, lege contra-
here, tenere proprium, iusurandum
postulantibus Magistratibus dare, du-
cere uxorem, nubere.

Damnant Anabaptistas, qui inter-
dicunt haec civilia officia Christianis.
Damnant & illos, qui Euangelicam per-
fectionem non collocant in timore
Dei & fide, sed in deserendis civilibus
officijs, quia Euangeliū tradit iustitiam
aeternam cordis. Interim nō dissipat Po-
litiam aut Oeconomiam, sed maximè po-
stulat conseruare tanquā ordinationes
Dei, & in talibus ordinationibus exer-
cere caritatem. Itaq; necessariò debent
Chri-

ARTICVLI FIDEI

Christiani obedire Magistratibus suis
& legibus. Nisi cum iubent peccare,
tunc etiam magis debent obedire Deo
quam hominibus, Actor. 5.

XVII.

Item docent, quod Christus appa-
rebit in consummatione mundi ad indi-
candum, & mortuos omnes resuscitabit,
pijs & electis dabit vitam æternam &
perpetua gaudia, impios autem homi-
nes ac diabolos condemnabit, vt sine
fine crucientur.

Damnant Anabaptistas, qui senti-
unt hominibus damnatis ac diabolis
finem pœnarum futurum esse. Damnant
& alios, qui nunc spargunt Iudaicas
opinionēs, quod ante resurrectionem
mortuorum, pij regnum mundi occu-
paturi sint, vbiq; oppressis impijs.

XVIII.

De libero arbitrio docent, quod
humana voluntas habeat aliquam liber-
tatem ad efficiendam civilem iustitiam,
& deligendas res rationi subiectas. Sed
non habet vim sine Spiritu sancto effi-
ciendæ iustitiæ Dei, seu iustitiæ spiritua-
lis,

lis, quia animalis homo non percipit ea
quæ sunt Spiritus Dei, sed hæc fit in cor-
dibus, cum per verbum Spiritus sanctus
concipitur. Hæc totidem verbis dicit
* Augustinus lib. 3

Hypognosticon. * Tom. 7. pag. 296.

Esse fatemur libe-
rum arbitrium omnibus hominibus,
habens quidem iudicium rationis, non
per quod sit idoneum in ijs, quæ ad De-
um pertinent, sine Deo aut inchoare aut
certè peragere, sed tantum in operibus
vitæ præsentis tam bonis quàm etiam
malis, Bonis dico, quæ de bono naturæ
oriuntur, id est, velle laborare in agro,
velle manducare & bibere, velle habere
amicum, velle habere indumenta, velle
fabricare domum, vxorem velle duce-
re, pecora nutrire, artem discere diuer-
sarum rerum bonarum, velle quicquid
bonum ad præsentem pertinet vitam.
Quæ omnia non sine diuino guberna-
culo subsistunt, imò ex ipso & per ipsum
sunt, & esse cœperunt. Malis verò dico,
vt est velle Idolum colere, velle homici-
dium, &c.

Damnant Pelagianos, & alios qui
docent, quod sine Spiritu sancto, solis
naturæ

ARTICVLI FIDEI.

natura viribus possimus Deum super omnia diligere. Item præcepta Dei facere, quo ad substantiam actuum. Quam enim externa opera aliquo modo efficere natura possit, potest enim continere manus à furto, à cæde: tamen interiores motus non potest efficere, vt timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam, &c.

XIX.

De causa peccati docent, quòd tamen Deus creat & conseruat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet, diaboli & impiorum, quæ non adiuuante DEO, auertit se à DEO, sicut CHRISTVS ait Ioannis 8. Cùm loquitur mendacium, ex seipso loquitur.

XX.

Falsò accusantur nostri, quòd bona opera prohibeant. Nam scripta eorum, quæ extant de decem præceptis, & alia simili argumento, testantur, quod utiliter docuerint de omnibus vitæ generibus & officijs, quæ genera vitæ, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant.

ceant. De quibus rebus olim parum do-
 cebant. Concionatores, tantum pueri-
 lia & non necessaria opera urgebant, ut
 certas ferias, certa ieiunia, fraternitates,
 peregrinationes, cultus Sanctorum, ro-
 saria, monachatum & similia. Hæc ad-
 uersarij nostri admoniti nunc dedis-
 cunt, nec perinde prædicant hæc inuti-
 lia opera, ut olim. Præterea incipiunt
 fidei mentionem facere, de qua olim mi-
 rum erat silentium. Docent nos non
 tantum operibus iustificari, sed con-
 iungunt fidem & opera, & dicunt, nos
 fide & operibus iustificari. Quæ doctri-
 na tolerabilior est priore, & plus afferre
 potest consolationis, quam vetus ipso-
 rum doctrina.

Cum igitur doctrina de fide, quam
 oportet in Ecclesia præcipuam esse, tam
 diu iacuerit ignota, quemadmodum fa-
 teri omnes necesse est, de fidei iustitia al-
 tissimum silentium fuisse in concioni-
 bus, tantum doctrinam operum versa-
 tam esse in Ecclesijs, nostri de fide sic ad-
 monuerunt Ecclesias.

Principio, quod opera nostra non
 possint reconciliare Deum, aut mereri
 remissionem peccatorum, & gratiam
 & iu-

ARTICVLI FIDEI

& iustificationem, sed hanc tantum fide consequimur, credentes quòd propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est mediator & propiciatorium, per quem reconcilietur Pater. Itaque qui confidit operibus, se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum & gratiam, & quærit sine Christo humanis viribus viam ad Deum, cum Christus de se dixerit: Ego sum via, veritas & vita.

Hæc doctrina de fide vbiq; in Paulo tractatur: Ephes. 2. Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, &c.

Et ne quis cauilletur, à nobis nouam Pauli interpretationem excogitari, tota hæc causa habet testimonia Patrum. Nam † Au- † *In libro de spiritu & Augustinus multis voluminibus defendit gratiam & iustitiam fidei contra merita operum. Et similia docet Ambrosius de vocatione Gentium, & alibi. Sic enim in-* *litera: de natura & gratia. In lib. 6. contra Iulian. In 3. de peccat. meritis & remiss. In 4. lib. contra duas Pelagianorum epistolas. Et Ambros. lib. 1. cap. 5. Tom. 2. pag. 13. Vitalibi. lesceret redemptio, &c.*
quit

quit de vocatione Gentium, Vilesceret redemptio sanguinis Christi, nec misericordiae Dei humanorum operum praerogatiua succumberet, si iustificatio, quae fit per gratiam, meritis praecedentibus deberetur, vt non munus largientis, sed merces esset operantis.

Quamquam autem haec doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experiuntur piæ ac pauidæ conscientiae, plurimum eam consolationis afferre, quia conscientiae non possunt reddi tranquillæ per vlla opera, sed tantum fide, cum certò statuunt, quod propter Christum habeant placatum Deum. Quemadmodum Paulus docet Rom. 5. Iustificati per fidem, pacem habemus apud Deum. Tota haec doctrina, ad illud certamen perterrefactæ conscientiae referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest. Quare malè iudicant de ea re homines imperiti, & prophani, qui Christianam iusticiam nihil esse somniant, nisi ciuilem & philosophicam iusticiam.

Olim vexabantur conscientiae doctrina operum, non audiebant ex Euangelio consolationem, Quosdam con-

C

scientia

A R T I C V L I F I D E I

scientia expulit in desertum, in monasteria, sperantes ibi se gratiam meritorios esse per vitam monasticam. Alij alia excogitauerunt opera, ad promerendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis. Ideo magnopere fuit opus, hanc doctrinam de fide in Christum tradere, & renouare, ne deesset consolatio pavidis conscientijs, sed scirent, fide in Christum apprehendi gratiam, & remissionem peccatorum & iustificationem.

Admonentur etiam homines, quòd hic nomen fidei non significet tantum historiae notitiam, qualis est in impijs & diabolo, sed significet fidem, quæ credit non tantum historiam, sed etiam effectum historiae, videlicet, hunc articulum, Remissionem peccatorum, quòd videlicet per Christum habeamus gratiam, iustitiam & remissionem peccatorum.

Iam qui scit, se per Christum habere propitium Patrem, is verè nouit Deum, scit se ei curæ esse, inuocat eum. Denique non est sine Deo sicut gentes. Nam Diaboli & impij non possunt hunc articulum credere, Remissionem
pecca-

peccatorum. Ideo Deum tanquam hostem oderunt, non inuocant eum, nihil boni ab eo expectant. Augustinus etiam de fidei nomine hoc modo admonet lectorem, & docet in Scripturis nomen fidei accipi, non pro notitia, qualis est in impijs, sed pro fiducia, quæ consolatur & erigit perterrefactas mentes.

Præterea docent nostri, quòd necesse sit bona opera facere, non vt confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantùm fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, iam corda renouantur, & induunt novos affectus, vt parere bona opera possint. Sic

enim ait † Ambrosius: *† Lib. 1. de vocat. gent. cap. 8. statim in principio.* Fides bonæ voluntatis, & iustæ

actionis genitrix est. Nam humanæ vires, sine Spiritu sancto, plenæ sunt impijs affectibus, & sunt imbecilliores, quàm vt bona opera possint efficere coram Deo. Ad hæc, sunt in potestate diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera. Quemadmo-

C 2 dum

A R T I C V L I F I D E I

dum est videre in Philosophis, qui & ipsi conati honestè viuere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cum est sine fide & sine Spiritu sancto, & tantum humanis viribus se gubernat.

Hinc faciliè apparet, hanc doctrinam non esse accusandam, quòd bona opera prohibeat, sed multò magis laudandam, quòd ostendit, quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide, nullo modo potest humana natura primi aut secundi præcepti opera facere. Sine fide non inuocat Deum, à Deo nihil expectat, non tolerat crucem, sed quærit humana præsidia, confidit humanis præsidijs. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana consilia, cum abest fides & fiducia erga Deum. Quare & Christus dixit: Sine me nihil potestis facere, Ioan. 15. Et Ecclesia canit: Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

X X I.

De cultu sanctorum docent, quod memoria sanctorum proponi potest, vt imite-

imitemur fidem eorum, & bona opera iuxta vocationem, vt Cæsar imitari potest exemplum Dauidis in bello gerendo ad depellēdos Turcas à patria. Nam vterq; rex est. Sed Scriptura non docet inuocare Sanctos, seu petere auxilium à Sanctis, Quia vnum Christum nobis proponit mediatorem, propitiatorium, Pontificem, & intercessorem. Hic inuocandus est, & promisit, se exauditurum esse preces nostras & hunc cultum maximè probat, videlicet, vt inuocetur in omnibus afflictionibus. 1. Ioan. 2. Si quis peccat, habemus aduocatum apud Deum, &c.

Hæc ferè summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est, quod cùm ita sit, inclementer iudicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant. Sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in Ecclesias irrepsērunt, in quibus etiam, si qua esset dissimilitudo, tamen decebat hæc lenitas Episcopos, vt propter confessionem, quam modo recensui-

ARTICVLI FIDEI

mus, tolerarent nostros, quia ne Cano-
nes quidem tam duri sunt, vt eosdem ri-
tus vbiq; esse postulent, neq; similes vni-
quam omnium Ecclesiarum ritus fue-
runt. Quanquam apud nos magna ex
parte veteres ritus diligenter feruantur.
Falsa enim calumnia est, quòd omnes
ceremoniæ, omnia vetera instituta in
Ecclesijs nostris aboleantur. Verum
publica querela fuit abusus quosdam
in vulgaribus ritibus hæerere. Hi, quia
non poterant bona conscientia pro-
bari, aliqua ex parte correcti sunt.

ARTICVLI IN
QVIBVS RECENSEN-
TUR ABVSVS
mutati.

CVM Ecclesiæ apud nos de nullo ar-
ticulo fidei dissentiant ab Ecclesia
Catholica, tantùm paucos quosdam
abusus omittant, qui noui sunt, & con-
tra voluntatem Canonum vitio tempo-
rum recepti, rogamus vt Cæsarea Ma-
iestas clementer audiat, & quid sit mu-
tatum, & quæ fuerint causæ, quo minus
coactus

coactus sit populus illos abusus contra conscientiam obseruare. Nec habeat fidem Casarea Maiestas istis, qui, vt inflamment odia hominum aduersus nostros, miras calumnias spargunt in populum. Hoc modo irritatis animis bonorum virorum initio prae buerunt occasionem huic dissidio, & eadem arte conantur nunc augere discordias. Nam Casarea Maiestas haud dubie comperiet tolerabiliorem esse formam, & doctrinae & ceremoniarum apud nos, quam qualem homines iniqui & maleuoli describunt. Porro veritas ex vulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligi non potest. Facile autem hoc iudicari potest, nihil magis prodesse ad dignitatem ceremoniarum conseruandam & alendam reuerentiam ac pietatem in populo, quam si ceremoniae rite fiant in Ecclesijs.

De vtraq; specie.

LAicis datur vtraq; species Sacramenti in Coena Domini, quia hic mos habet mandatum Domini Matth. 26. Bibite ex hoc omnes. Vbi manifeste praecipit

C 4 . cepit

A R T I C V L I F I D E I

cepit Christus de poculo vt omnes bi-
 bant, & ne quis possit cauillari, quod
 hoc ad Sacerdotes tantum pertineat,
 Paulus ad Corinthios exemplum reci-
 tat, in quo apparet, totam Ecclesiam vtra-
 que specie usam esse. Et diu mansit hic
 mos in Ecclesia, nec constat, quando
 aut quo authore
 mutatus sit, tametsi † *In tertia epistola ad*
 † Cardinalis Cusa- *Bobemos. Obijt hic Cu-*
 nus recitet, quan- *sanus, anno 1464.*
 do sit approbatus.
 * Cyprianus ali- * *Lib. 2. cap. 3. Calix*
 quot locis testatur *plebi ministrandus. Et*
 populo sanguinem *lib 4. epist. 6. in serm.*
 datum esse. Idem *de lapsis, &c.*
 testatur ÷ Hiero-
 nymus, qui ait: Sa- ÷ *In commentarijs in*
 cerdotes Euchari- *Sophonie cap. 3. To. 5.*
 stie ministrant, & *fol. 98.*
 sanguinem Christi
 populis diuidunt. * *Diuisio vnus eiusdem*
 Imò * Gelasius Pa- *mysterij, sine grandi*
 pa mandat, ne di- *sacrilegio non potest*
 uidatur Sacramen- *prouenire.*
 tum, Distin. 2. de
 Consecratione, cap. Comperimus. Tan-
 tum consuetudo non ita vetus aliud
 habet.

habet. Constat autem quod consuetudo contra mandata Dei introducta, non sit probanda, vt testantur † Canones, Dist. 8. cap. Veritate, cum sequentibus. Hæc verò cōsuetudo non solùm contra Scripturam, sed etiam contra veteres Canones & exemplum Ecclesiæ recepta est. Quare si qui maluerunt, vtracq; specie Sacramenti vti, nō fuerunt cogendi, vt aliter facerent cum offensione conscientia. *† Verba Canonum: Veritate manifesta, cedat consuetudo veritati. Et nemo consuetudinem rationi aut veritati preponat. Item, Si consuetudinem fortassis opponas, aduertendum est, quòd Dominus dixit, Ego sum via, veritas & vita: Non dixit, Ego sum consuetudo, sed veritas. Et certè, vt B. Cypriani vtamur sententia: Consuetudo quantumuis vetusta, quantumuis vulgata, veritati omnino est postponenda. Et vsus, qui veritati est contrarius, est abolendus.*

Et quia diuisio Sacramenti non conuenit cum institutione Christi, solet apud nos omitti processio, quæ hactenus fieri solita est.

De Coniugio Sacerdotum.

Publica querela fuit de exemplis Sa-
 cerdotum, qui non continebant.
 Quam ob causam
 & † Pius Papa di- † *Aeneas Sylvius antea*
 xisse fertur, fuisse *dictus, anno 1460.*
 aliquas causas cur
 ademptum sit Sa-
 cerdotibus coniu- † *In vita Pij Pontifi-*
 gium, sed multò *cis, circa finem. Hic Ba-*
 maiores esse cau- *ptista Platina Cremo-*
 sas cur reddi debe- *nensis vitas Pontificum*
 at. Sic enim scribit *scripsit, & fuit Pij Pon-*
 † Platina. Cùm *tif. abbreviator, & po-*
 igitur Sacerdotes *stea Sixti IIII. biblio-*
 apud nos publica *thecarius. Obijt anno*
 illa scandala vitare *1481.*
 vellent, duxerunt
 vxores, ac docuerunt, quòd liceat ipsis
 contrahere matrimonium. Primum,
 quia Paulus dicit, Vnusquisque habeat
 vxorem suam propter fornicationem.
 Item melius est nubere quàm vri. Se-
 cundo, Christus inquit: Non omnes
 capiunt verbum hoc, vbi docet, non
 omnes homines ad cœlibatum idoneos
 esse.

esse, quia Deus creauit hominem ad procreationem, Genes. 1. Nec est humanae potestatis, sine singulari dono & opere Dei creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad coelibatum, debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei & ordinationem Dei, nulla lex humana, nullum votum tollere potest. Ex his causis docent Sacerdotes sibi licere uxores ducere. Constat etiam in Ecclesia veteri, Sacerdotes fuisse maritos. Nam & Paulus ait, Episcopum eligendum esse, qui sit maritus. Et in Germania primum ante annos quadringentos, Sacerdotes vi coacti sunt ad coelibatum, qui quidem ad eò aduersati * *Naclerus volum. sunt, vt * Archiepi- 2. in sine generatio- scopus Mogunti- nis. 36.* nus publicaturus edictum Romani Pontificis de ea re, penè ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppressus sit. Et res gesta est tam inciuiliter, vt non solum in posterum coniugia prohiberentur, sed etiam praesentia, contra omnia iura diuina & humana, contra ipsos † *Synod. Cartag. 6. etiam † Canones anno Cb. 420. distinct. factos,*

ARTICULI FIDEI

factos, non solum 84. cap. Cum de quo-
 à Pontificibus, sed rundam. Siricij Pape
 à laudatissimis Sy- Canon recitatur distin.
 nodis, distraheren- 82. cap. Proposuiſti &
 tur. sequentibus: vbi etiam
 insulse Pauli dictum allegatur: Qui in carne
 sunt, Deo non possunt placere.

Et cum senescente mundo, paula-
 tim natura humana fiat imbecillior, cō-
 uenit prospicere, ne plura vitia serpent
 in Germaniam. Porrò Deus instituit
 coniugium, vt esset remedium humanæ
 infirmitatis. Ipsi
 † Canones veterem † Distinct. 34. cap.
 rigorem interdum Fraternitatis. Item,
 posterioribus tem. 1. q. 7. cap. Requiritis.
 poribus propter
 imbecillitatem hominum laxandum ef-
 se dicunt, quod optandum est, vt fiat &
 in hoc negocio. Ac videntur Ecclesijs
 aliquando defuturi pastores, si diutius
 prohibeatur coniugium.

Cum autem extet mandatum Dei,
 cum mos Ecclesiæ notus sit, cum impu-
 rus cœlibatus plurima pariat scandala,
 adulteria, & alia scelera digna animad-
 uersione boni magistratus: tamen mi-
 rum

rum est, nulla in re maiorem exerceri
 fauitiam quam aduersus coniugium
 Sacerdotum. Deus praecipit honore af-
 ficere coniugium. Leges in omnibus re-
 bus publicis bene constitutis, etiam
 apud Ethnicos maximis honoribus or-
 nauerunt. At nunc capitalibus poenis
 excruciantur, & quidem Sacerdotes
 contra Canonum voluntatem, nullam
 aliam ob causam, nisi propter coniugi-
 um. Paulus vocat doctrinam daemonio-
 rum quae prohibet coniugium. 1. Ti-
 moth. 4. Id facile nunc intelligi potest,
 cum talibus supplicijs prohibitio con-
 iugij defenditur.

Sicut autem nulla lex humana po-
 test mandatum Dei tollere, ita nec vo-
 tum potest tollere mandatum Dei. Pro-
 inde etiam † Cy-
 prianus suadet, vt † *Lib. 1. epist. 11.*
 mulieres nubant,
 quae non seruant promissam castitatem.
 Verba eius sunt haec, lib. 1. epistola x 1.
 Si autem perseuerare nolunt, aut non
 possunt, melius est vt nubant, quam vt
 in ignem delicijs suis cadant, certè nul-
 lum fratribus aut sororibus scandalum
 faciant.

faciant. Et æquitate quadam vtuntur ipsi & Canones erga hos, qui ante iustam ætatem venerunt, quomodo ferè hæctenus fieri consuevit.

† *Dist. 77. cap. Plaga. Item, 20. q. 1. cap. Sanctimoniales.*

De Missa.

Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant: Retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur. Seruantur & vsitatae ceremoniæ ferè omnes, præterquam quòd Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. Nam ad hoc vnum opus est ceremonijs, vt doceant imperitos. Et non modò Paulus præcipit, vt lingua intellecta populo in Ecclesia, sed etiam ita constitutum est humano iure.

Assuefit populus, vt vnà vtantur Sacramento, si qui sunt idonei, id quoque auget reuerentiam ac religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi antea explorati. Admo-
nentur

uentur etiam homines de dignitate & usu Sacramenti, quantam consolationem afferat pauidis conscientijs, ut discant Deo credere, & omnia bona à Deo expectare & petere. Hic cultus delectat Deum, talis usus Sacramenti alit pietatem erga Deum. Itaque non videntur apud aduersarios Missæ maiore religione fieri, quàm apud nos.

Constat autem hanc quoque publicam & longè maximam querelam omnium bonorum virorum diu fuisse, quòd Missæ turpiter prophanarentur, collatæ ad quæstum. Neque enim obscurum est, quàm latè pateat hic abusus in omnibus templis, à qualibus celebrentur Missæ, tantum propter mercedem aut stipendium, quam multi contra interdictum Canonum celebrent. Paulus autem grauitè minatur his, qui indignè tractant Eucharistiam, cum ait: Qui ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Itaque cum apud nos admonerentur Sacerdotes de hoc peccato, desierunt apud nos priuatæ Missæ, cum ferè nullæ priuatæ Missæ, nisi quæstus causa fierent.

Neque

ARTICVLI FIDEI

Neque ignorauerunt hos abusus Episcopi, qui si correxissent eos in tempore, minus nunc esset dissensionum. Antea sua dissimulatione multa vitia passi sunt in Ecclesiam serpere. Nunc serio incipiunt queri de calamitatibus Ecclesiæ, cum hic tumultus non aliunde sumserit occasionem, quam ex illis abusibus, qui tam manifesti erant, vt tolerari amplius non possent. Magnæ dissensiones de Missa, de Sacramento extiterunt. Fortasse dat pœnas orbis tam diuturnæ prophanationis Missarum, quam in Ecclesijs tot seculis tolerauerunt isti, qui emendare & poterant & debebant. Nam in decalogo scriptum est, Qui De in nomine abutitur, non erit impunitus. At ab initio mundi nulla res diuina ita videtur vnquam ad quæstum collata fuisse, vt Missa.

Accessit opinio, quæ auxit priuatas Missas in infinitum, videlicet, quòd Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, & instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus. Hinc manauit publica opinio, quòd Missa sit opus delens peccata viuorum & mortuorum,

tuorum ex opere operato. Hic cœptum est disputari, vtrum vna Missa dicta pro pluribus, tantundem valeat, quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio peperit istam infinitam multitudinem Missarum.

De his opinionibus nostri admonuerunt, quòd dissentiant à Scripturis sanctis, & lædant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, vt ad Hebræos scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel. Item, Vna oblatione consummauit in perpetuum sanctificatos.

Item, Scriptura docet: Nos coram Deo iustificari per fidem in Christum, cum credimus nobis remitti peccata propter Christum. Iam si Missa delet peccata viuorum & mortuorum ex opere operato, contingit iustificatio ex opere Missarum, non ex fide, quod Scriptura non patitur.

Sed Christus iubet facere in sui memoriam: quare Missa instituta est, vt fides in ijs, qui vtuntur Sacramento, recordetur

D

cordetur

A R T I C V L I F I D E I

cordetur) quæ beneficia accipiat per Christum, & erigat & consoletur pauidam conscientiam, Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire quod verè exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia hanc etiam Iudæi & impij recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda Missa, vt ibi porrigatur Sacramentum his, quibus opus est cōsolatione, sicut * Ambrosius ait: Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam.

* Lib. 5. de Sacramētis
cap. 4. Tom. 4. pag.
44.

Cū autem Missa sit talis communicatio Sacramenti, seruatur apud nos vna communis Missa, singulis ferijs atq; alijs etiam diebus, si qui Sacramento velint vti, vbi porrigitur Sacramentum his qui petunt. Neq; hic mos in Ecclesia nouus est, Nam veteres ante Gregorium non faciunt mentionem priuatæ Missæ. De communi Missa plurimum loquuntur. † Chryso-
mus ait: Sacerdotem quotidie stare ad altare, & alios ad communionem

† In comment. in 1o.
cap. epist. ad Hebraeos,
columna 1443. Et in
1. ca. ad Eph. col. 793.

accer-

accersere, alios arcere. Et ex Canonibus veteribus apparet vnum aliquem celebrasse Missam, à quo reliqui presbyteri & Diaconi sumserunt corpus Domini. Sic enim sonant verba Canonis Niceni, Accipiant Diaconi secundum ordinem post presbyteros, ab Episcopo vel à presbytero sacram communionem. Et Paulus de communione iubet, vt alij alios expectent, vt fiat communis participatio.

Postquam igitur Missa apud nos habet exemplum Ecclesiae, ex Scriptura & Patribus, confidimus improbari eam non posse, maximè cum publicæ ceremoniæ, magna ex parte similes vsitatis seruentur, tantùm numerus Missarum est dissimilis, quem propter maximos & manifestos abusus certè moderari prodesset. Nam olim etiam in Ecclesijs frequentissimis non fiebat quotidie Missa, vt testatur historia Tripartita lib. 9. cap. 38. Rursus autem in Alexandria quarta & sexta feria Scripturæ leguntur, easque doctores interpretantur, & omnia fiunt præter solennem oblationis morem.

De Confessione.

Confessio in Ecclesijs apud nos non
 est abolita, Non enim solet porrigi
 corpus Domini, nisi antea exploratis
 & absolutis. Et docetur populus dili-
 gentissimè de fide absolutionis, de qua
 ante hæc tempora magnum erat silen-
 tium. Docentur homines, vt absolutio-
 nem plurimi faciant, quia sit vox Dei,
 & mandato Dei pronuncietur. Ornatur
 potestas clauium & commemoratur,
 quantam consolationem afferat perter-
 re factis conscientijs, & quòd requirat
 Deus fidem, vt illi absolutioni tan-
 quam voci de cælo sonanti credamus,
 & quòd illa fides in Christum verè con-
 sequatur, & accipiat remissionem pec-
 catorum. Antea immodicè extolleban-
 tur satisfactiones: Fidei verò & meriti
 Christi, ac iustitiæ fidei nulla fiebat men-
 tio, quare in hac parte minimè sunt cul-
 pandæ Ecclesiæ nostræ. Nam hoc et-
 iam aduersarij tribuere nobis cogun-
 tur, quòd doctrina de pœnitentia dili-
 gentissimè à nostris tractata ac patefa-
 cta sit.

Sed

Sed de Confessione docent, quod enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientia cura enumerandi omnia delicta, quia impossibile est omnia delicta recitare, Vt testatur Psalmus, delicta quis intelligit? Item Ieremias, Prauum est cor hominis & inscrutabile. Quod si nulla peccata nisi recitata remitterentur, nunquam acquiescere conscientia possent, quia plurima peccata neque vident, neque meminisse possunt. Testantur & veteres scriptores, enumerationem non esse necessariam.

Nam in † Decretis † *De pœnitentia dist. 1.*
citatur * Chryso- *fol. 48 2.*

stomus, qui sic ait:

Non tibi dico, vt te ** Ex comment. in epi-*
prodas in publi- *stolam ad Hebraeos. Et*
cum, neque apud *similes sententia apud*
alios te accuses, *eundem in enarratione*
sed obedire te vo- *Psal. 50. homil. 2. Et*
lo Prophetæ dicen- *in sermone de pœniten-*
ti, Reuela ante De- *tia, & confessione. Item*
um viam tuã. Ergo *homil. 31. & 41.*

tua confitere pec-
cata apud Deum, verum iudicem cum
oratione. Delicta tua pronuncia non

D 3 lingua,

ARTICULI FIDEI

lingua, sed conscientia tua memoria,
&c. Et glossa de poenitentia, Dist. 4. cap.
Cōsideret, fatetur humani iuris esse con-
fessionem. Verum confessio, cum pro-
pter maximum absolutionis benefici-
um, tum propter alias conscientiarum
utilitates apud nos retinetur.

De discrimine Ci- borum.

Publica persuasio fuit non tantum
vulgi, sed etiam docentium in Ec-
clesijs, quod discrimina ciborum, & si-
miles traditiones humanae, sint opera
utilia ad promerendam gratiam & sa-
tisfactoria pro peccatis. Et quod sic fen-
derit mundus, apparet ex eo, quia quo-
tidie instituebantur novae ceremoniae,
noui ordines, novae feriae, nova ieiunia,
& Doctores in templis exigebant haec
opera tanquam necessarium cultum ad
promerendam gratiam, & vehementer
terrebant conscientias si quid omitterent.
Ex hac persuasione de traditionibus
multa incommoda in Ecclesia secuta sunt.

Primò, obscurata est doctrina de gra-
tia & iustitia fidei, quae est praecipua
pars

pars Euangelij, & quam maximè oportet extare & eminere in Ecclesia, vt meritum Christi bene cognoscatur, & fides quæ credit remitti peccata propter Christum, longè supra opera collocetur. Quare & Paulus in hunc locum maximè incumbit, legem & traditiones humanas remouet, vt ostendat iustitiam Christianam aliud quiddam esse, quàm huiusmodi opera, videlicet fidem quæ credit peccata gratis remitti propter Christum. At hac doctrina Pauli, penè tota oppressa est per traditiones, quæ pepererunt opinionem, quòd per discrimina ciborum, & similes cultus, oporteat mereri gratiam & iustitiam. In pœnitentia nulla mentio fiebat de fide, tantùm hæc opera satisfactoria proponebantur, In his videbatur pœnitentia tota consistere.

Secundò, hæ traditiones obscurauerunt præcepta Dei, quia traditiones longè præferebantur præceptis Dei, Christianismus totus putabatur esse observatio certarum feriarum, rituum, ieiuniorũ, vestitus. Hæ observationes erant in possessione honestissimi tituli, quòd essent vita spiritualis, & vita perfecta.

ARTICVLI FIDEI

Interim mā data Dei iuxta vocationem, nullam laudem habebant, quòd paterfamilias educabat sobolem, quòd mater pariebat, quòd princeps regebat rem publicam, hæc putabātur esse opera mundana & imperfecta, & longè deteriora illis splendidis observationibus. Et hic error valde cruciauit pias conscientias, quæ dolebant se teneri imperfecto vitæ genere, in coniugio, in Magistratibus, aut alijs functionibus ciuilibus, mirabantur Monachos & similes, & falsò putabant illorum observationes Deo gratiores esse.

Tertiò, traditiones attulerunt magna pericula conscientijs, quia impossibile erat omnes traditiones seruare, & tamen homines arbitrabantur has observationes, necessarios esse cultus. * *In lib. de vita spiritali*
* Gerson scribit, *rituali anime: Tom. 3.* multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem consciuisse, quia senserant, se non posse satisfacere traditionibus, & interim consolationem nullam de iusticia fidei & de gratia audierant.

Vide

Videmus Summistas & Theologos colligere traditiones, & quærere *ᾠδὴ* *κεία*, vt leuent conscientias, non satis tamen expediunt, sed interdum magis iniiciunt laqueos conscientijs. Et in colligendis traditionibus ita fuerunt occupata Scholæ, & conciones, vt non vacauerit attingere Scripturam, & quærere vtiliorem doctrinam de fide, de cruce, de spe, de dignitate civilium rerum, de consolatione conscientiarum in arduis tentationibus. Itaque Gerson & alij quidam Theologi grauiter questi sunt, se his rixis traditionum impediri, quo minus versari possent in meliore genere doctrinæ. Et * Augu-
 stinus vetat onera-
 re conscientias huiusmodi obseruationibus, & prudenter admonet Ianuari-
 um, vt sciat eas indifferenter obseruan-
 das esse. Sic enim loquitur.

Quare nostri non debent videri hanc causam temerè attigisse, aut odio

D 5

Episco-

† Num. 62. litera D.
 & Num. 10. lit. S.
 & in lib. de vita spiri-
 tuali anime Num. 61.
 lit. 1.

* Epist. 118. ad Ianu.

A R T I C V L I F I D E I

Episcoporum, vt quidam falsò suspi-
cantur. Magna necessitas fuit de illis er-
roribus, qui nati erant ex traditionibus
malè intellectis, admonere Ecclesias.
Nam Euangelium cogit vrgere doctri-
nam in Ecclesijs de gratia & iustitia fi-
dei, quæ tamen intelligi non potest, si
putent, homines se mereri gratiam per
obseruationes ab ipsis electas.

Sic igitur docuerunt, quod per ob-
seruationem traditionum humanarum
non possimus gratiam mereri, aut iusti-
ficari, quare non est sentiendum, quòd
huiusmodi obseruationes sint necessari-
us cultus.

Addunt testimonia ex Scriptura,
Christus Matth. 15. excusat Apostolos,
qui non seruauerant vsitatam traditio-
nem, quæ tamen videbatur de re non il-
licita sed media esse, & habere cognatio-
nem cum baptismatibus legis, & dicit,
Frustrà colunt me mandatis hominum.
Igitur non exigit cultum inutilem.

Et paulò post addit, Omne quod in-
trat in os, non inquinat hominem.

Item Rom. 14. Regnum Dei non est
esca aut potus.

Coloss.

Coloss. 2. Nemo iudicet vos in cibo, potu, sabbato, aut die festo.

Item, Si mortui estis cum Christo, ab elementis mundi, Quare tanquam viuentes in mundo decreta facitis? Ne attingas. Ne gustes. Ne contrectes.

Actor. 15. ait Petrus: Quare tentatis Deum, imponentes iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Hic vetat Petrus onerare conscientias pluribus ritibus siue Mosis siue alijs.

Et 1. Timoth. 4. vocat prohibitionem ciborum, doctrinam daemoniorum, quia pugnat cum Euangelio talia opera instituire aut facere, vt per ea mereamur gratiam, aut quod non possit existere Christianismus sine tali cultu.

Hic obijciunt aduersarij, quod nostri prohibeant disciplinam & mortificationem carnis,

sicut † Iouinianus.

Verum aliud de-

prehendetur ex

scriptis nostrorum.

† August. To. 1. fol. 48.

Et 2. 112. To. 3. 206.

To. 6. 30. To. 7. 725.

863. To. 10. 1020. Et

Hieron. To. 2. 17. Et c.

Semper

A R T I C V L I F I D E I

Semper enim docuerunt de cruce, quòd Christianos oporteat tolerare afflictiones. Hæc est vera, seria & non simulata mortificatio, varijs afflictionibus exerceri, & crucifigi cum Christo.

Insuper docent, quòd quilibet Christianus, debeat se corporali disciplina, aut corporalibus exercitijs & laboribus sic exercere & coërcere, ne saturnitas aut desidia extimulet ad peccandum, non vt per illa exercitia mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis. Et hanc corporalem disciplinam oportet semper vrgere, non solùm paucis & constitutis diebus, Sicut CHRISTVS præcipit: Cauete, ne corpora vestra grauentur crapula. Item hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi ieiunio & oratione. Et Paulus ait: Castigo corpus meum, & redigo in seruitutem. Vbi clarè ostendit, se ideo castigare corpus, non vt per eam disciplinam mereatur remissionem peccatorum, sed vt corpus habeat obnoxium & idoneum ad res spirituales & ad faciendum officium, iuxta vocationem suam. Itaque non damnantur ipsa ieiunia, sed traditiones,

tiones, quæ certos dies, certos cibos præscribunt, cum periculo conscientia, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.

Servantur tamen apud nos pleræque traditiones, quæ conducunt ad hoc, ut res ordine geratur in Ecclesia, ut ordo lectionum in Missa & præcipuæ feriæ. Sed interim homines admonentur, quod talis cultus non iustificet coram Deo, & quod non sit ponendum peccatum in talibus rebus, si omittantur sine scandalo. Hæc libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus. Nam in Oriente alio tempore servauerunt Pascha, quæ Romæ, & cum Romani propter hanc dissimilitudinē accusarint Orientem schismatis, admoniti sunt ab alijs, tales mores non oportere ubique similes esse. Et Irenæus inquit: Dissonantia ieiunij, fidei consonantiam non soluit, sicut & † Dist. † In epist. ad Augustin. 12. Gregorius Papa significat, talem

Eusebius lib. 5. cap.

23. 24. Tripart. lib. 9.

cap. 37. 38. Irenæum

Eusebius citat, lib. 5.

cap. 24.

disi-

ARTICVLI FIDEI

dissimilitudinem non lædere vnitatem Ecclesiæ. Et in historia Tripartita lib. 9. cap. 38. multa colliguntur exempla dissimilium rituum, & recitantur hæc verba: Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conuersationem & pietatem.

De votis Monachorum.

Q Vid de votis Monachorum apud nos doceatur, melius intelliget, si quis meminerit, qualis status fuerit Monasterium, quam multa contra Canones in ipsis Monasterijs quotidie fiebant. † Augustini tempore erant libera collegia, postea corrupta disciplina, ubique addita sunt vota, vt tanquam excogitato carcere, disciplina restitueretur. Additæ sunt paulatim supra vota aliæ multæ obseruationes. Et hæc vincula multis ante iustam ætatem contra † Canones iniecta sunt. Multi inciderunt errore

† Teste Posidonio in vita Augustini cap. 11.

† Dist. 77 cap. Placuit

in hoc

in hoc vitæ genus, quibus etiam si non deessent anni, tamen iudicium de suis viribus defuit. Qui sic irretiti erant, cogebantur manere, etiam si quidam beneficio Canonum liberari possent. Et hoc accidit magis etiam in Monasterijs virginum, quàm Monachorum, cum sexui imbecilliori magis parcendum esset. Hic rigor displicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas & adolescentes in monasteria detrudi propter victum, videbant quàm infeliciter succederet hoc consilium, quæ scândala pareret, quos laqueos conscientijs iniiceret. Dolebant authoritatem Canonum in re periculosissima omnino negligi & contemni.

Ad hæc mala accedebat talis persuasio de votis, quam cōstat etiam olim displicuisse ipsis Monachis, si qui paulò cordatiores fuerunt, docebant vota paria esse Baptismo, docebant se hoc vitæ genere mereri remissionē peccatorum, & iustificationē coram Deo, Imò addebant, vitam Monasticam non tantum iustitiā mereri coram Deo, sed amplius etiam, quia seruaret non modo præcepta, sed etiam consilia Euangelica.

Ita

ARTICVLI FIDEI

Ita persuadebant Monasticam professionem longè meliorem esse Baptismo, vitam Monasticam plus mereri quàm vitã Magistratum, vitam pastorum & similium, qui in mandatis Dei sine factitijs religionibus suæ vocationi seruiunt. Nihil horum negari potest, extant enim in libris eorum.

Quid fiebat postea in Mōnasterijs? Olim erant scholæ sacrarum literarum, & aliarum disciplinarum, quæ sunt utiles Ecclesiæ, & sumebantur inde pastores, & Episcopi. Nunc alia res est, nihil opus est recitare nota. Olim ad discendum conueniebant, nunc fingunt institutum esse vitæ genus ad promerendam gratiam & iustitiam, imò prædicant esse statum perfectionis, & longè præferunt omnibus alijs vitæ generibus à Deo ordinatis.

Hæc ideo recitauimus nihil odiosè exaggerantes, vt melius intelligi posset de hac re, doctrina nostrorum. Primum de his, qui matrimonia contrahunt, sic docent apud nos, quod liceat omnibus, qui non sunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, quia vota non possunt ordinationem ac mandatum
Dei

Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei; Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam. Neque mandatum solum, sed etiam creatio & ordinatio Dei cogit hos ad coniugium, qui sine singulari Dei opere non sunt excepti, iuxta illud: Non est bonum homini esse solum. Igitur non peccant isti, qui obtemperant huic mandato & ordinationi Dei. Quid potest contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti quantum volet, tamen non poterit efficere, ut votum tollat mandatum DEI.

† Canones docent † 33. q. 5. cap. *Mani-*
 in omni voto, ius *festum est.* Item 20. q.
 superioris excipi, *cap. 4. Monacho non li-*
 quare multò mi- *cer vouere.* Et Gerson
 nus hæc vota con- *in tractatu de esu car-*
 tra mandata DEI *nium.*
 valent.

Quod si obligatio votorum, nullas haberet causas cur mutari possit, nec Romani Pontifices dispensassent. Neque enim licet homini obligationem, quæ simpliciter est iuris diuini, rescindere. Sed prudenter iudicauerunt Romani Pontifices æquitatem in hac obligatio-

E ne ad-

ARTICVLI FIDEI

ne adhibendam est. † *Raimiro II. filio San-*
se. Ideo saepe de dñi III. Regis Arrag.
 votis dispensasse le- *Simile in Chronico Po-*
 gūtur. Nota est hi- *lonia de Casimiro ex-*
 storia de † Rege *monasterio ad regnum*
 Arragonum, reuo- *Polonie reuocato: anno*
 cato ex Monaste- *1042.*
 rio, & extant exempla nostri temporis.

Deinde, cur obligationem exaggerant aduersarij seu effectum voti, cum interim de ipsa voti natura sileant, quod debet esse in re possibili, quod debet esse voluntarium, sponte & consulto conceptum. At quomodo sit in potestate hominis perpetua castitas, non est ignotum. Et quotusquisque sponte & consulto uouit? Puellae & adolescentes priusquam iudicare possunt, persuadentur ad uouendum, interdum etiam coguntur. Quare non est æquum tam rigide de obligatione disputare, cum omnes fateantur contra voti naturam esse, quod non sponte, quod inconsulto admittitur.

Plerique Canones rescindunt vota ante *20. q. 2. cap. Fir-*
 te annum 15. con- *ma. & cap. Illud att-*
 tracta, quia ante il- *tem.*
 lam aetatem non vi-
 detur

detur tantum esse iudicij, vt de perpetua
vita cōstitui possit.

† Alius Canon plus † *Dist. 28. cap. de his,*
concedens homi- *ex Canone Concilij To-*
num imbecillitati, *letani II. Item 20. q.*
addit annos ali- *1. cap. Quis.*

quot, vetat enim
ante annum 18. votum fieri. Sed vtrum
sequemur, maxima pars habet excusa-
tionem, cur monasteria deserant, quia
plurimi ante hanc ætatem vouerunt.

Postremò, etiamsi voti violatio re-
prehendi posset, tamen non videtur
statim sequi, quod coniugia talium per-
sonarum dissoluenda sint. Nam Augu-
stinus negat debere dissolui, 27. quæst.
1. cap. Nuptiarum, cuius non est leuis
autoritas, etiamsi alij postea aliter sen-
ferunt.

Quanquam autem mandatum Dei
de coniugio videatur plerosq; liberare
à votis, tamen afferunt nostri & aliam
rationem de votis, quod sint irrita, quia
omnis cultus Dei, ab hominibus sine
mandato Dei institutus & electus ad
promerendam iustificationem & grati-
am, impius est, sicut Christus ait: Frustrà
colunt me mādatis hominum. Et Paulus

E 2 vbiq̃ue

A R T I C V L I F I D E I

vbique docet, iustitiam non esse quærendam ex nostris obseruationibus & cultibus, qui sint excogitati ab hominibus, sed contingere eam per fidem, credentibus se recipi in gratiam à Deo propter Christum.

Constat autem Monachos docuisse, quòd factitiæ religiones satisfaciât pro peccatis, mereantur gratiam & iustificationem. Quid hoc est aliud, quàm de gloria Christi detrahere & obscurare, ac negare iustitiam fidei? Sequitur igitur ista vota vsitata, impios cultus fuisse, quare sunt irrita. Nam votum impium, & factum contra mandata Dei, non valet, neq; enim debet votum vinculum esse iniquitatis, vt Canon dicit.

22. q. 3. Inter cæ-
tera.

Paulus dicit: Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Ergo etiam qui votis iustificari volunt, euacuantur à Christo, & à gratia excidunt. Nam & hi, qui votis tribuunt iustificationem, tribuunt proprijs operibus, hoc, quod propriè ad gloriam Christi pertinet. Neque verò negari potest, quin Monachi docuerint, se per
vota

vota & obseruationes suas iustificari & mereri remissionem peccatorum, imò affinxerunt absurdiora, dixerūt se alijs mutuari sua opera. Hæc si quis velit odiosè exaggerare, quàm multa possit colligere, quorum iam ipsos Monachos pudet. Ad hæc persuaserunt hominibus factitias religiones esse statum Christianæ perfectionis. An non est hoc iustificationem tribuere operibus? Non est leue scandalum, in Ecclesia populo proponere, certum cultum ab hominibus excogitarum sine mandato Dei, & docere, quòd talis cultus iustificet homines? Quia iustitia fidei, quam maximè oportet tradi in Ecclesia, obscuratur, cū illæ mirificæ religiones Angelorum, simulatio paupertatis & humilitatis, & cœlibatus offunduntur oculis hominum.

Præterea obscurantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cū audiunt homines, solos Monachos esse in statu perfectionis, quia perfectio Christiana est feriò timere Deum, & rursus concipere magnam fidem, & confidere propter Christum, quòd habeamus Deum placatum, petere à Deo, & certò expe-

ARTICVLI FIDEI

& dare auxilium in omnibus rebus geren-
dis, iuxta vocationem. Interim foris di-
ligenter facere bona opera, & seruire
vocationi. In his rebus est vera perfectio,
& verus cultus Dei, non est in cœli-
bato aut mendicitate, aut veste fordi-
da. Verùm populus concipit multas
pernitiosas opiniones ex illis falsis præ-
conijs vitæ Monasticæ. Audit sine mo-
do laudari cœlibatum, ideo cum offen-
sione conscientiæ versatur inconiugio.
Audit solos mendicos esse perfectos,
ideo cum offensione conscientiæ reti-
net possessiones, negociatur. Audit cõ-
siliu Evangelicum esse de non vindi-
cando, ideo alij in priuata vita non ve-
rentur vlcisci, audiunt enim consiliu
esse, non præceptum. Alij omnes Magi-
stratus & ciuilia officia iudicant indi-
gna esse Christianis.

Leguntur exem-
pla hominum, qui *Cassiodorus Cancel-*
deserto coniugio, *larius Theodorici Ve-*
deserta Reipubli- *ronensis: Caroloman-*
cæ administratio- *nus Filius Caroli Mar-*
ne, abdiderunt se *telli, &c.*

in Monasteria, Id
vocabant fugere ex mundo, & quærere
vitæ

vita genus, quod Deo magis placeret, nec videbant Deo seruiendum esse in illis mandatis, quae ipse tradidit, non in mandatis, quae sunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitae genus est, quod habet mandatum Dei. De his rebus necesse est admonere homines. Et ante haec tempora reprehendit

† Gerson errorem Monachorum de perfectione, & restatur suis temporibus nouam vocem fuisse, quod vita Monastica sit status perfectionis.

† *In libro de consilijs Euangelicis, & statu perfectionis. Item de religionis perfectione & moderatione. In tertia parte operum Gersonis Num. 67.*

Tam multae impiae opiniones haerent in votis, quod iustificent, quod sint perfectio Christiana, quod feruent censilia & praecipua, quod habeant opera supererogationis. Haec omnia cum sine falsa & inania, faciunt vota irrita.

De potestate Ecclesiastica.

Magnae disputationes fuerunt de potestate Episcoporum, in quibus nonnulli

ARTICVLI FIDEI.

nonnulli incōmo- † Gregorius 2. & 3. Im-
 modè commiscue- peratorib. Constantino-
 runt potestātē Ec- politanis tributa pendē
 clesiasticam, & po- prohibuerunt an: 730.
 testatem gladij. Et Gregorij successor Zi-
 ex hac confusione, charias ademtum Hil-
 † maxima bella, derico Francia regnum
 maximi motus ex- attribuit Pipinio patri
 titerunt, dum Pon- Caroli Magni. Item
 tifices freti pote- Gregorius VII. atro-
 state clauium, non cissima inter Germani-
 solum novos cul- cos principes bella ciui-
 tus instituerunt, re- lia excitauit, & Hen-
 seruatione casuum, ricum IIII. ab imperio
 violentis excom- remoueri, & Rudol-
 municationibus cō pham Sueuum eligi
 scientias oneraue- iussit. Item, Adrianus
 runt, sed etiam re- IIII. & Alexander III.
 gna mūdi transfer- Fridericum Barbaros-
 re, & Imperatoribus sam sceleratè persecuti
 adimere imperium sunt. Innocentius III.
 conati sunt. Hæc Philippum & Ottonem
 vitia multo * antè Imperat. excommuni-
 reprehenderunt in cavit, & alium Cesa-
 Ecclesia homines rem eligi iussit. Grego-
 pij & eruditi. Itaq; rius IX. Fridericum II.
 nostri ad consolā- cruce etiam & indul-
 das conscientias, gentijs contra eum pu-
 coacti

coacti sunt ostendere discrimen Ecclesiasticae potestatis, & potestatis gladij, & docuerunt vtramque propter mandatum Dei religiosè venerandam & honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, potestatem clauium, seu potestatem Episcoporum, iuxta Euangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, praedicandi Euangelium, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt, Marc. 16. Ite, praedicate Euangelium omni creaturae, &c.

E 5 Hæc

blicatis, toto vite sue tempore oppugnauit. Innocentius IIII. Concilio Lugduni habito imperium Friderico ademit, & alium eligi mandauit: qua de re extat ipsius epistola in 6. Decretalium. Iohannes 22. Ludouicum Bauarum Impe. deposuit.

** Vide Catalogum testium veritatis, qui ante nostram aetatem re- clamarunt Pape.*

ARTICVLVS PRIDVS

Hęc potestas tantum exercetur docendo seu prædicando verbum, & potest rigendo Sacramenta, vel multis vel singulis iuxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res æternæ, iustitia æterna, Spiritus sanctus, vita æterna. Hęc non possunt contingere nisi per ministerium verbi & Sacramentorum, sicut Paulus dicit: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Itaque cum potestas Ecclesiastica cōcedat res æternas, & tantum exerceatur per ministerium verbi, non impedit politicā administrationem, sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res, quàm Euangelium. Magistratus defendit non mentes, sed corpora & res corporales, aduersus manifestas iniurias, & coërcet homines gladio, & corporalibus pœnis, vt iustitiam ciuilem & pacem retineat.

Non igitur commiscendæ sunt potestates Ecclesiastica & ciuilis. Ecclesiastica suum mandatum habet Euangelij docendi, & administrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Ma-

ges Magistratum, non tollat legitimam obedientiam, non impediatur iudicia de vllis ciuilibus ordinationibus aut contractibus, nō præscribat leges Magistratibus de forma Reipublicæ, sicut dicit Christus: Regnum meum non est de hoc mundo. Item, quis constituit me iudicem aut diuisorem super vos? Et Paulus ait Philip. 3. Nostra politia in cœlis est. 2. Cor. 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destruendas cogitationes, &c. Ad hunc modum discernunt nostri vtriusque potestatis officia, & iubent vtramque honore afficere & agnoscere, vtramque Dei donum & beneficium esse.

Si quam habent Episcopi potestatem gladij, hanc non habent Episcopi ex mandato Euangelij, sed iure humano donatam à regibus & imperatoribus, ad administrationem ciuilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est, quam ministerium Euangelij.

Cùm igitur de iurisdictione Episcoporum quæritur, discerni debet imperium ab Ecclesiastica iurisdictione. Porrò secundum Euangelium, seu vt loquuntur, de iure diuino, nulla iurisdictione

ARTICVLI FIDEI

dictio competit Episcopis, vt Episcopis, hoc est, his quibus est commissum ministerium verbi & Sacramentorum, nisi remittere peccata. Item, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communionem Ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo. Hic necessario & de iure diuino, debent eis Ecclesiæ præstare obedientiam, iuxta illud: Qui vos audit, me audit.

Verùm cum aliquid contra Euangelium docent aut statuunt, tunc habent Ecclesiæ mandatum Dei, quod obedientiam prohibet, Matth. 7. Cauete à Pseudoprophetis. Galat. 1. Si Angelus de cælo aliud Euangelium euangelizauerit, anathema sit. 2. Corinth. 13. Non possumus aliud contra veritatem, sed pro veritate. Item, Data est nobis potestas ad ædificationem, non ad destructionem. Sic & Canones præcipiunt, 2. q. 7. cap. Sacerdotes, & cap. ¶ Oues. ¶ Augustinus contra Petiliani E-

¶ Oues, quæ suo pastori commissa sunt, eum nec reprehendere, nisi à fide exorbitauerit, nec vllatenus accusare possunt.

pisto-

pistolam inquit: Nec catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi fortè falluntur, aut contra Canonicas Dei Scripturas aliquid sentiunt.

Si quam habent aliam vel potestatem, vel iurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonij, aut decimarum, &c. hanc habent humano iure. Vbi cessantibus ordinarijs coguntur Principes vel inuiti, suis subditis ius dicere, vt pax retineatur.

Præter hæc disputatur, vtrum Episcopi seu pastores habeant ius instituendi ceremonias in Ecclesia, & leges de cibis, ferijs gradibus ministrorum, seu ordinibus, &c. condendi. Hoc ius qui tribuunt Episcopis, allegant testimonium: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Allegant etiam exemplum Apostolorum, qui prohibuerunt abstinere à sanguine, & suffocato. Allegant Sabbatum mutatum in diem Dominicum contra Decalogum, vt videtur. Nec vllum exemplum magis iactatur, quàm mutatio Sabbati. Magnam contendunt Ecclesiæ potestatem,

ARTICULI FIDEI

tem esse, quòd dispensauerit de præcepto Decalogi.

Sed de hac quæstione nostri sic docent, quòd Episcopi non habent potestatem statuendi aliquid contra Euangelium, vt supra ostensum est. Docent idem Canones 9. Distin. Porrò contra Scripturam est, traditiones condere aut exigere, vt per eam obseruationem satisfaciamus pro peccatis, aut mereamur gratiam & iustitiam. Læditur enim gloria meriti Christi, cum talibus obseruationibus conamur mereri iustificationem. Constat autem propter hanc persuasionem, in Ecclesia penè in infinitum creuisse traditiones, oppressa interim doctrina de fide & iustitia fidei, quia subinde plures ferix factæ sunt, ieiunia indicta, ceremoniæ nouæ, noui honores sanctorum instituti sunt, quia arbitrabatur, se autores talium rerum, his operibus mereri gratiam. Sic olim creuerunt Canones pœnitentiales, quorum adhuc in satisfactionibus vestigia quædam videmus.

Item, autores traditionum faciunt contra mandatum Dei, cum collocant peccatum in cibis, in diebus, & similibus

bus



bus rebus, & onerant Ecclesiam seruitute legis, quasi oporteat apud Christianos ad promerendam iustificationem cultum esse similem Leuitico, cuius ordinationem commiserit Deus Apostolis & Episcopis: sic enim scribunt quidam. Et videntur Pontifices aliqua ex parte exemplo legis Mosaicae decepti esse. Hinc sunt illa onera, quod peccatum mortale sit, etiam sine offensione aliorum, in ferijs laborare manibus, quod sit peccatum mortale omittere horas Canonicas, quod certi cibi polluant conscientiam, quod ieiunia sint opera placantia Deum, quod peccatum in casu reseruato non possit remitti, nisi accesserit autoritas reseruantis, cum quidem ipsi Canones non de reseruatione culpa, sed de reseruatione poenae Ecclesiasticae loquantur.

Vnde habent ius Episcopi has traditiones imponendi Ecclesijs, ad illaqueandas conscientias? Cum Petrus vetet imponere iugum discipulis, cum Paulus dicat, potestatem ipsis datam esse ad aedificationem, non ad destructionem. Cur igitur augent peccata per has traditiones?

Verum

A R T I C V L I F I D E I

Verum extant clara testimonia, quæ prohibent condere tales traditiones ad promerendam gratiam, aut tanquam necessarias ad salutem. Paulus Coloss. 2. Nemo vos iudicet in cibo, potu, parte diei festi, nouilunio aut Sabbatis. Item, Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quare tanquam viuentes in mundo, decreta facitis? Non attingas, non gustes, non contrectes, quæ omnia pereunt usu, & sunt mandata & doctrinæ hominum, quæ habent speciem sapientiæ. Item, ad Titum apertè prohibet traditiones, Non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auersantium veritatem. Et Christus Matth. 15. inquit, de his qui exigunt traditiones: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Et improbat tales cultus: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur.

Si ius habent Episcopi onerandi Ecclesias infinitis traditionibus, & illaqueandi conscientias, cur toties prohibet Scriptura condere & audire traditiones? cur vocat eas doctrinas dæmoniorum? Num frustra hæc præmonuit Spiritus sanctus? Relinquitur igitur,

tur, cum ordinationes institutæ tanquam necessariae, aut cum opinione promerendæ gratiæ pugnent cum Evangelio, quòd non liceat vllis Episcopis tales cultus instituere aut exigere. Necessè est enim in Ecclesijs retineri doctrinam, de libertate Christiana, quòd non sit necessaria seruitus legis ad iustificationem, sicut in Galatis scriptum est: Nolite iterum iugo seruitutis subijci. Necessè est retineri præcipuum Evangelij locum, quòd gratiam per fidem in Christum gratis consequamur, nō propter certas obseruationes, aut propter cultus ab hominibus institutos.

Quid igitur sentiendum est de die Dominico, & similibus ritibus templorum? Ad hæc respondent, quòd liceat Episcopis seu pastoribus facere ordinationes, vt res ordine gerantur in Ecclesia, non vt per illas mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, vt iudicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cum sine offensione aliorum violant. Sic Paulus ordinat, vt in congregatione mulieres velent capita, vt ordine audiantur in Ecclesia interpretes, &c.

F Tales

ARTICVLI FIDEI

Tales ordinationes conuenit Eccleſias propter caritatem & tranquillitatem ſeruare eatenus, ne alius alium offendant, vt ordine & ſine tumultu omnia fiant in Eccleſijs. Verum ita, ne conſcientiæ onerentur, vt ducant reſeſſe neceſſarias ad ſalutem, ac iudicent ſe peccare cum violant eas ſine aliorum offenſione, ſicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit, ſine offenſione hominũ.

Talis eſt obſeruatio diei Dominici, Paſchatis, Pentecoſtes, & ſimilium feriarum, & rituum. Nam qui iudicant Eccleſiæ autoritate, pro ſabbato inſtitutã eſſe diei Dominici obſeruationem, tanquam neceſſariam, longè errant. Scriptura abrogauit ſabbatum, quæ docet omnes ceremonias Moſaicas, poſt reuelatum Euangelium omitti poſſe. Et tamen quia opus erat cõſtituere certũ diem, vt ſciret populus, quãdo conuenire deberet, apparet Eccleſiã ei rei deſtinãſſe diẽ Dominicum, qui ob hanc quoq; cauſam videtur magis placuiſſe, vt haberent homines exemplum Chriſtianiã liberratis, & ſcirent, nec ſabbat nec alterius diei obſeruationem neceſſariã eſſe.

Extant

Extant prodigiosa disputationes de mutatione legis, de ceremonijs nouae legis, de mutatione sabbati, quae omnes orta sunt ex falsa persuasione, quod oporteat in Ecclesia cultum esse similem Leuitico, Et quod Christus commiserit Apostolis & Episcopis excogitare nouas ceremonias, quae sint ad salutem necessariae. Hi errores serpsierunt in Ecclesiam, cum iustitia fidei non satis clare doceretur. Aliqui disputant, diei Dominici obseruationem non quidem iuris diuini esse, sed quasi iuris diuini, praescribunt de ferijs, quatenus liceat operari. Huiusmodi disputationes quid sunt aliud nisi laquei conscientiarum? Quanquam enim conentur epijkeizare traditiones, tamen nunquam potest aequitas deprehendi, donec manet opinio necessitatis, quam manere necesse est, ubi ignorantur iustitia fidei, & libertas Christiana.

Apostoli iusserunt abstinere a sanguine, quis nunc obseruat? neque tamen peccant, qui non obseruant, quia ne ipsi quidem Apostoli voluerunt onerare conscientias tali seruitute, sed ad tempus prohibuerunt propter scandalum.

F 2 Est

ARTICVLI FIDEI

Est enim perpetua voluntas Euangelij
consideranda in decreto. Vix vlli Ca-
nones seruantur accuratè, & multi quo-
tidie exolefcunt apud illos etiam, qui
diligentiffimè defendunt traditiones.
Nec potest conscientijs consuli, nisi
hæc æquitas feruetur, vt sciamus, eos si-
ne opinione necessitatis seruari, nec læ-
di conscientias, etiam si traditiones
exolefcant.

Facile autem possent Episcopi legi-
timam obedientiam retinere, si non vr-
gerent seruare traditiones, quæ bona
conscientia seruari non possunt. Nunc
imperant cœlibatum, nullos recipiunt,
nisi iurent se puram Euangelij doctri-
nam nolle docere. Non petunt Ecclesiæ,
vt Episcopi honoris sui iactura sarciant
concordiam, quod tamen decebat bo-
nos pastores facere. Tantùm petunt, vt
iniusta onera remittant, quæ noua sunt,
& præter consuetudinem Ecclesiæ Ca-
tholicæ recepta. Fortassis in initio quædã
constitutiones habuerunt probabiles
causas, quæ tamen posterioribus tem-
poribus non congruunt. Apparet etiam
quasdam errore receptas esse, quare
Pontificiæ clementiæ esset, illas nunc
miti-

mitigare, quia talis mutatio non labefacit Ecclesiae unitatem. Multae enim traditiones humanae tempore mutatae sunt, ut ostendunt ipsi Canones. Quod si non potest impetrari, ut relaxentur observationes, quae sine peccato non possunt praestari, oportet nos regulam Apostolicam sequi, quae praecipit, Deo magis obedire quam hominibus. Petrus vetat Episcopos dominari, & Ecclesijs imperare. Nunc non id agitur, ut dominatio eripiatur Episcopis, sed hoc unum petitur, ut patiantur Euangelium pure doceri & relaxent paucas quasdam observationes, quae sine peccato seruari non possunt. Quod si nihil remiserint, ipsi viderint, quomodo Deo rationem reddituri sint, quod pertinacia sua causam schismati praebent.

E P I L O G V S.

HI sunt praecipui articuli, qui videntur habere controuersiam, quanquam enim de pluribus abusibus dici pote-

F 3 rat,

rat, tamen vt fugeremus pro-
 lixitatē, præcipua complexi
 sumus, ex quibus cætera facile
 iudicari possunt. Magnæ que-
 relæ fuerunt de indulgentiis,
 de peregrinationibus, de abusu
 excommunicationis. Parochiæ
 multipliciter vexabantur per
 stationarios. Infinitæ conten-
 tiones erant Pastoribus cum
 monachis, de iure parochiali,
 de confessionibus, de sepultu-
 ris, de extra ordinariis concio-
 nibus, & de alijs innumerabili-
 bus rebus. Huiusmodi nego-
 cia prætermisimus, vt illa, quæ
 sunt in hac causa præcipua, bre-
 uiter proposita, facilius cogno-
 sci possent. Neq; hic quicquam
 ad vllius contumeliam dictum
 aut

caut collectum est. Tantum ea
 irrecitata sunt, quæ videbantur
 sine necessario dicenda esse, vt in-
 telligi possit in doctrina ac ce-
 remonijs, apud nos nihil esse
 inreceptum contra Scripturam
 aut Ecclesiam Catholicam, quia
 manifestum est, nos diligentis-
 simè cauisse, ne qua noua & im-
 pia dogmata in Ecclesias no-
 stras serperent.

Hos articulos supra scri-
 ptos, voluimus exhibere iuxta
 edictum Cæsar, Maiest. in qui-
 bus confessio nostra extaret,
 & eorum, qui apud nos do-
 cent, doctrinæ summa cerne-
 retur. Si quid in hac cōfessione
 desiderabitur, parati sumus la-

F 4 tiorem

rem informationem, Deo vo-
lente, iuxta Scripturas exhi-
bere.

Cæsareæ Maiest. V.

Fideles & subditi,

Ioan. Dux Saxoniae Elector.
Georgius Marchio Branden-
burgensis.

Ernestus Dux Luneburgensis.

Philip. Landgravius Hessorū.

Ioan. Fridericus Dux Saxon.

Franciscus Dux Luneburg.

Vuolfgangus Princeps ab An-
halt.

Senatus Magistratusq̄ Norin-
bergenfis.

Senatus Reutlingensis.

E P I-

Articulorum,

DE QVIBVS

CONTROVERSIÆ

ORTÆ SVNT, INTER

THEOLOGOS AVGVSTANAE

Confessionis, qui in repe-

titione sequente, secundum verbi

DEI præscriptum, piè

declarati sunt, &

conciliati.



DE COMPEN

DIA RIA R E

gula adque Norma, ad

quam omnia dogmata exigenda, &

quae incidunt certamina, pie

Thro declaranda & componenda

Constituta debent in scriptis

ratione sequens, sequantur verbi

Dea praescripta, pie

Revera Reverendissimi, constantur

& debentur, vnicam regni

iam & normam, secundam

quam omnia dogmata

omnesque doctores altima

ri & iudicari oportet, nullam omnino

aliam esse, quam Prophetica & Apo-

lica scripta cum veteris, tum novi Testa-

menti, sicut scriptum est, Lucerna pe-

dibus meis verbum vitae, & lumen senti-

tis meis. Et Dicitur, Paulus inquit, Etiam in Galat.

Angelus de celo ascendit, praedictet Evan-

gelium, anathema sit.

Reliqua vero sicut Patrum sine Neo-

teriorum scripta, quocumque veniant, no-

mine



DE COMPEN- DIARIA RE-

gula atque Norma, ad
quam omnia dogmata exigenda, &
quæ inciderunt certamina, piè
declaranda & compo-
nenda sunt.

I.



REDIMVS, confitemur,
& docemus, vnicam regu-
lam & normam, secundum
quam omnia dogmata,
omnesq; doctores æstima-
ri & iudicari oporteat, nullam omninò
aliam esse, quàm Prophetica & Aposto-
lica scripta cùm veteris, tum noui Testa-
menti, sicut scriptum est: Lucerna pe- Psal. 119.
dibus meis verbum tuum, & lumen semi-
tis meis. Et Diuus Paulus inquit: Etiam si Galat. 1.
Angelus de cælo aliud prædicet Euan-
gelium, anathema sit.

Reliqua verò siue Patrum siue Neo-
tericorū scripta, quocunq; veniant no-
mine,

mine, sacris literis nequaquam sunt æquiparanda, sed vniuersa illis ita subiicienda sunt, vt alia ratione non recipiantur, nisi testium loco: qui doceant, quod etiam post Apostolorum tempora, & in quibus partibus orbis, doctrina illa Prophetarum & Apostolorum sincerior conseruata sit.

II.

Et quia statim post Apostolorum tempora, imò etiam cum adhuc superstites essent, falsi doctores & hæretici exorti sunt, contra quos in primitiua Ecclesia Symbola sunt composita, id est, breues & categoricæ confessiones, quæ vnanimem Catholicæ Christianæ fidei Consensum & Confessionem Orthodoxorum & veræ Ecclesiæ complectebantur (vt sunt symbolū Apostolicum, Nicenum & Athanasianum) profiteamur publicè, nos illa amplecti, & reijcimus omnes hæreses, omniaq; dogmata, quæ contra illorum sententiam vnquam in Ecclesiam Dei sunt inuecta.

III.

Quod verò ad schismata in negocijs

cijs fidei attinet, quæ in nostra tempora
 inciderunt, iudicamus, vnanimem con-
 sensum, & declarationem Christianæ
 nostræ fidei & Confessionis, inpri-
 mis contra Papatum, & huius falsos
 ac idolatricos cultus & superstitiones,
 & alias sectas, esse nostri temporis Sym-
 bolum, Augustanam illam primam, &
 non mutatam confessionem, quæ Im-
 peratori Carolo V. Augustæ Anno 30.
 in magnis imperij Comitij, exhibita
 est: Similiter & Apologiam, & articulos
 Smalcaldicos Anno 37. conscriptos &
 præcipuorum Theologorum illius tem-
 poris subscriptione comprobatos.

Et quia hæc Religionis causa etiam
 ad Laicos, quos vocant, spectat, eo-
 rumq; perpetua salus agitur: profite-
 mur publicè, nos etiam amplecti Minorem
 & Maiorem D. Lutheri Catechi-
 smos, vt ij Tomis Lutheri sunt inserti:
 quòd eos quasi Laicorum Biblia esse
 censeamus, in quibus omnia illa breui-
 ter comprehenduntur, quæ in sacra Scri-
 ptura fusius tractantur, & quorū cog-
 nitio homini Christiano ad æternam salu-
 tem est necessaria.

Ad has rationes, paulò ante mon-
 stratas,

stratas, omnis doctrina in Religionis negotio conformanda est, & si quid ijs contrarium esse deprehenditur, id reijciendum atq; damnandum est: quippe quod cum vnanimi fidei nostræ declaratione pugnet.

Hoc modo luculentum discrimen inter sacras veteris & noui Testamenti literas, & omnia aliorum scripta retinetur: & sola sacra Scriptura, Iudex, norma, & regula, agnoscitur, ad quam, ceu ad Lydium lapidem, omnia dogmata exigenda sunt & iudicanda, an pia, an impia, an vera, an verò falsa sint.

Cætera autem Symbola, & alia scripta, quorum paulò ante mentionem fecimus, non obtinent autoritatem Iudicis: hæc enim dignitas solis sacris literis debetur: sed duntaxat pro Religione nostrâ testimonium dicunt, eamq; explicant, ac ostendunt, quomodo singulis temporibus sacræ literæ in articulis controuersis in Ecclesia Dei à Doctoribus, qui tum vixerunt, intellectæ & explicatæ fuerint, & quibus rationibus dogmata cum sacra Scriptura pugnantia reiecta & condemnata sint.

L

DE PECCATO ORIGINIS.

Status controuersiaë.

AN peccatum originale sit proprie, & absque omni discrimine, **I**PSA hominis corrupti **N**ATVRA, **S**VBSTANTIA & **E**SSENTIA, aut certè principalis & præstantissima pars ipsius substantiæ, utpote, **I**PSA rationalis **A**NIMA, in summo suo gradu, & in summis ipsius viribus considerata. An verò inter hominis substantiam, naturam, essentiam, corpus, & animam, etiam post lapsum humani generis, & inter originale peccatum aliquod sit discrimen, ita, ut aliud sit **I**PSA **N**ATVRA, & aliud **I**PSVM **P**ECCATVM Originis, quod **I**N **N**ATURA corrupta hæret, & naturam etiam deprauat.

AFFIR.

DE PECCATO
AFFIRMATIVA.

Sincera Doctrina, fides &
Confessio, cum superiore Norma
& compendiosa declara-
tione consentiens.

I.

Credimus, docemus, & confitemur,
quòd sit aliquod discrimen inter
I P S A M hominis NATURAM, non
tantùm, quemadmodum initiò à Deo
purus, & sanctus, & absque peccato ho-
mo conditus est, verùm etiam, qualem
iam post lapsum, naturam illam habe-
mus: discrimen, inquam, inter I P S A M
Naturam, quæ etiam post lapsum est
permanetq; Dei creatura, & inter pecca-
tum Originis: Et quòd tanta sit illa Na-
turæ & peccati Originalis differentia,
quanta est inter opas Dei & inter opus
Diaboli.

II.

Credimus, docemus, & confitemur,
quòd summo studio hoc discrimen sit
conseruandum: propterea quòd illud
dogma, nullum videlicet, inter Naturam
hominis

hominis corrupti, & inter peccatum originis esse discrimen, cum præcipuis fidei nostræ articulis (de creatione, de redemptione, de sanctificatione, & resurrectione carnis nostræ) pugnet, neq; saluis hisce articulis stare possit.

Deus enim non modò Adami & Heuæ corpus & animam, ante lapsum, verùm etiam corpora & animas nostras, post lapsum, creauit: et si hæc iam sunt corrupta. Et sanè hodie Dominus animas & corpora nostra, creaturas & opus suum esse agnoscit, Sicut scriptum est: Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.

Deut. 32.
Isa. 45. 54.
64.
Actor. 17.
Iob. 10.
Psal. 100.
139.
Eccles. 12.

Et Filius Dei vnione personali illam humanam naturam, sed sine peccato, assumit: & non alienã, sed nostram carnem sibi adiungens arctissimè copulauit: eiusq; assumptæ carnis ratione verè frater noster factus est: vt Scriptura testatur, Hebr. 2. Posteaquam pueri commercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem. Item: Non Angelos assumit: sed semen Abrahamæ assumit, vnde & debuit per omnia fratribus assimilari, excepto peccato. Eandem humanam no-

“
“
“
“
“
“

animam
G stram

stram Naturam, (opus videlicet suum) Christus REDEMIT: eandem (quæ ipsius opus est) sanctificat: eandem à mortuis resuscitat, & ingenti gloria (opus videlicet suum) ornat. Peccatum autem Originale non creavit, non assumptum: non redemit, non sanctificat: non resuscitabit in electis: neque unquam gloria cœlesti ornabit aut saluabit, sed in beata illa resurrectione plane abolitum erit.

Ex his, quæ à nobis allata sunt, discrimen inter corruptam Naturam, & inter corruptionem, quæ NATURÆ infixæ est, & per quam natura est corrupta, facile agnosci potest.

III.

Vicissim autem credimus, docemus, atque confitemur, peccatum Originis non esse leuem, sed tam profundam humanæ Naturæ corruptionem: quæ nihil sanum, nihil incorruptum, in corpore & anima hominis, atque adeo in interioribus & exterioribus viribus eius reliquit. Sicut Ecclesia canit: Lapsus Adæ vi pessima, Humana tota massa, Natura & ipsa essentia, corrupta, luce cassa, &c.

Hoc

Hoc quantum sit malum, verbis reuera
 est inexplicabile: neq; humanae rationis
 acumine indagari, sed duntaxat per ver-
 bum Dei reuelatum agnosci potest. Et
 sanè affirmamus, quòd hanc naturæ
 corruptionem ab I P S A Natura, nemo,
 nisi solus Deus, separare queat: id quod
 per mortem in beata illa resurrectione
 plenè fiet. Ibi enim ea ipsa Natura no-
 stra, quam nunc circumferimus, absque
 peccato Originis, & ab eodem omninò
 separata & remota resurget, & æterna
 felicitate fruetur. Sic enim scriptum est:
 Pelle mea circumdabor, & in carne mea Iob. 19.
 videbo DEVM, quem ego visurus sum
 mihi, & oculi mei eum conspecturi
 sunt.

NEGATIVA.

Reiectio falforum do-
 gmatum, quæ commemoratæ
 sanæ doctrinæ re-
 pugnant.

I.

Reijcimus ergo & damnamus do-
 gma illud, quo asseritur, peccatum

G

2

Ori-

DE PECCATO

Originale tantummodo REATUM & debitum esse, ex alieno delicto, absque vlla naturæ nostræ corruptione, in nos deriuatum.

I I.

Item, Concupiscentias prauas non esse peccatum, sed concreatas Naturæ conditiones & proprietates quasdam Essentiales: aut, defectus illos, & malum ingens à nobis paulò ante commemoratum, non esse peccatum, propter quod homo, Christo non insertus, sit filius iræ.

I I I.

Reijcimus etiam Pelagianam hæresin, qua asseritur, hominis naturam post lapsum incorruptam esse: & quidem in spiritualibus rebus totam bonam & puram in viribus suis naturalibus mansisse.

I I I I.

Item: Peccatum Originis externum, leuem, & nullius propè momenti esse næuum, aut aspersam quandam maculam: sub qua nihilominus natura bonas

nas suas vires, etiam in rebus spiritualibus retinuerit.

V.

Item, Peccatum Originale tantum esse externum impedimentum bonarum spiritualium virium, & non esse despoliationem & defectum earundem, sicuti cum Magnes allij succo illinitur, vis eius naturalis attrahendi ferrum non tollitur, sed tantum impeditur: aut, sicut macula de facie, aut color de pariete abstergi facile potest.

V I.

Item, Hominis Naturam & essentiam non prorsus esse corruptam: sed aliquid boni adhuc in homine reliquum, etiam in rebus spiritualibus: videlicet, bonitatem, capacitatem, aptitudinem, facultatem, industriam, aut vires, quibus in rebus spiritualibus inchoare aliquid boni, operari, aut cooperari valeat.

V I I.

Contra autem reijcimus etiam falsum dogma Manichæorum, cum doce-

G 3 tur:

DE PECCATO

tur: Peccatum Originis tanquam quiddam essentiale atq; substantiale à Satana in naturam esse infusum, & cum eadem permixtum: quemadmodum venenum & vinum miscentur.

VIII.

Item, Non ipsum animale hominem, sed aliquid aliud, & peregrinum quiddam, quod sit in homine, peccare: ideoq; non ipsam Naturam, sed tantummodo peccatum Originale in natura existens, accusari.

IX.

Reijcimus etiam atque damnamus, vt Manichæum errorem, quando docetur, Originale peccatum propriè, & quidem nullo posito discrimine, esse **I P S A M** hominis corrupti Substantiam, Naturã, & Essentiam, ita vt inter naturam corruptam post lapsum, per se ipsam consideratum, & inter peccatum Originis nulla prorsus sit differentia, neque vlla distinctio cogitari, aut saltem peccatum illud à Natura cogitatione discerni possit.

D. Lu-

D. Lutherus quidem Originis illud malum, peccatum Naturæ, personale, essentialiale vocat: sed non eam ob causam, quasi Natura, persona, aut essentia hominis, absq; omni discrimine, sit ipsum peccatum Originis: sed ideo ad hunc modum loquitur, vt huiusmodi phrasibus discrimen inter peccatum Originale, quod humanæ naturæ infixum est, & inter alia peccata, quæ Actualia vocantur, melius intelligi possit.

X I.

Peccatum enim Originis non est quoddam delictum, quod actu perpetratur: sed intimè inhæret infixum ipsi naturæ, Substantiæ, & Essentiæ hominis. Et quidem, si maximè nulla vnquam praua cogitatio in corde hominis corrupti exoriretur: si nullum verbû ociosum proferretur: si nullum malû opus, aut facinus designaretur: tamen Natura nihilominus corrupta est per originale peccatum, quod nobis ratione corrupti seminis agnatum est: quod ipsum etiam scaturigo est omnium aliorum actualium peccatorum, vt sunt prauæ cogi-

DE PECCATO

Math. 15.
Genes. 6. 8.

tationes, praua colloquia, prauè & sceleratè facta. Sic enim scriptum legimus: Ex corde oriuntur cogitationes malæ. Et alibi: Omne figmentum cordis tantummodo malum est, à pueritia.

XII.

Est etiam diligenter obseruanda varia significatio vocabuli (Naturæ) cuius æquiocatione Manichæi abutentes, errorem suum occultant, multosq; simplices homines in errorem inducunt. Quandoque enim (Natura) ipsam hominis substantiam significat vt, cùm dicimus: Deus humanam naturam creauit. Interdum verò per vocabulum, Naturæ, intelligitur ingenium, conditio, defectus, aut vitium alicuius rei, in ipsa natura insitum & inhærens. Vt cum dicimus: Serpentis natura est, icere: Hominis natura est peccare, & peccatum. Et in hac posteriore significatione vocabulum (Naturæ) non ipsam hominis substantiam, sed aliquid, quod in natura aut substantia fixum inhæret, denotat.

XIII.

Quod

Quod verò ad Latina vocabula substantiæ & accidentis attinet, cum ea non sint Scripturæ sacræ vocabula, præterea etiam à plebe non intelligantur, abstinendum est ab illis in publicis sacris concionibus: vbi indocta plebs docetur: & hac in re simplicium & rudiorum meritò habenda est ratio.

In scholis autem, & apud homines doctos (quibus horum vocabulorum significatio nota est, & qui iisdem rectè atque citra abusum vti possunt, propriè discernentes essentiam alicuius rei ab eo, quod aliunde ei accidit, & per accidens inhæret) in disputatione de peccato Originis, retinenda sunt.

Nam hisce vocabulis discrimen inter opus D E I, & inter opus Diaboli quàm maximè perspicuè explicari potest. Diabolus enim substantiam nullam creare, sed tantummodo, per accidens, permittente Domino, substantiam à D E O creatam deprauare potest.

DE LIBERO
ARBITRIO.

Status controuersia.

UM hominis voluntas quadruplicem habeat considerationem: Primò, ante lapsum: Secundò, post lapsum: Tertio, post regenerationem: Quarto, post resurrectionem carnis: Nunc quaestio praecipua est tantum de voluntate & viribus hominis in secundo statu, quasnam vires, post lapsum primorum parentum nostrorum, ante regenerationem ex seipso habeat, in rebus spiritualibus: an proprijs viribus, antequam per spiritum Dei fuerit regeneratus, possit sese ad gratiam Dei applicare & praeparare: & num gratiam diuinam (quae illi per Spiritum sanctum, in verbo & Sacramentis diuinitus institutis offertur) accipere & apprehendere possit, nec ne.

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina de hoc

Articulo, cum immota Regula
verbi diuini congruens.

I.

DE hoc negotio hæc est fides, doctri-
na & cōfessio nostra: quòd, vide-
licet, hominis intellectus & ratio, & in re-
bus spiritualibus prorsus sint cæca, ni-
hilq; proprijs viribus intelligere pos-
sunt. Sicut scriptum est: Animalis homo 1. Cor. 2.
non percipit ea, quæ sunt spiritus: stul-
ticia illi est, & non potest intelligere,
quia de spiritualibus examinatur.

II.

Credimus, docemus, & confitemur
etiam: Voluntatem hominis nondum
renatã, non tantùm à Deo esse auersam,
verùm etiam inimicam Deo factam: ita,
vt tantummodo ea velit & cupiat, ijsq;
delectetur, quæ mala sunt, & voluntati
diuinæ repugnant. Scriptum est enim:
Sensus & cogitatio humani cordis in Genes. 8.
malum prona sunt ab adolescentia sua.

Item:

DE LIBERO

Item: Affectus carnis inimicitia est ad-
Rom. 8. uersus Deum: neque enim legi subijci-
 tur, ac ne potest id quidem. Itaque cre-
 dimus, quantum abest, ut corpus mor-
 tuum seipsum viuificare, atque sibi ipsi
 corporalem vitam restituere possit, tan-
 tum abesse, ut homo, qui ratione pecca-
 ti spiritualiter mortuus est, seipsum in
 vitam spirituales reuocandi ullam fa-
 cultatē habeat, sicut scriptum est: **Cum**
Ephes. 2. essemus mortui in peccatis, conuiuifica-
 uit nos cum Christo, &c. Itaque etiam ex
 nobismetipsis, tanquam ex nobis, non
 sumus idonei, ut aliquid boni cogite-
2. Cor. 3. mus: quòd verò idonei sumus, id ipsum
 à Deo est.

III.

Conuersionem autem hominis
 operatur Spiritus sanctus non sine me-
 dijs: sed ad eam efficiendam uti solet
 prædicatione, & auscultatione verbi
Rom. 1. Dei, sicut scriptum est: Euangelion est
 potentia Dei ad salutem omni credenti.
Rom. 10. Et: Fides est ex auditu verbi Dei. Et sa-
 nè vult Dominus, ut ipsius verbum au-
Psal. 95. diatur, neque ad illius prædicationem
 aures obturentur. Huic verbo adest
 præ-

præfens Spiritus sanctus, & corda hominum aperit, vt sicut Lydia in Actis Apostolicis, diligenter attendant, & Actor. 16. ita conuertantur, sola gratia & virtute Spiritus sancti, cuius vnus & solus opus est hominis conuersio. Si enim Spiritus sancti gratia absit, nostrum vel- Rom, 9. le, & currere, nostrum plantare, seminare, & rigare, prorsus frustranea sunt: si, videlicet, ille incrementum non largiatur, Sicut Christus inquit: Sine me nihil potestis facere. Et his quidem paucis Iohan. 15. verbis Christus libero arbitrio omnes vires derogat, omniaq; gratiæ diuinæ adscribit: ne quis coram Deo habeat, I. Cor. 1. de quo gloriatur. Ierem. 9.

NEGATIVA.

Reiectio contrariæ & falsæ doctrinæ.

Repudiamus igitur & damnamus omnes, quos iam recitabimus, errores, cum verbi diuini regula non congruentes.

Primò

DE LIBERO

I.

Primò delirum Philosophorum Stoicorum dogma, quemadmodum & Marcionæorum furorem, qui docuerunt, omnia quæ eueniant necessario fieri, & aliter fieri prorsus non posse: & hominem omnia coactum facere, etiam ea, quæ in rebus externis agat: eumq; ad designanda mala opera & scelera (qualia sunt, libidines vagæ, rapinæ, cædes, furta, & similia) cogi.

II.

Repudiamus etiam crassum illum Pelagianorum errorem, qui asserere non dubitarunt, quòd homo proprijs viribus, sine gratia Spiritus sancti sese ad Deum cõuertere, Euangelio credere, legi diuinæ ex animo parère, & hac ratione peccatorum remissionem ac vitam æternam ipse promereri valeat.

III.

Præter hos errores reijcimus & Semipelagianorum falsum dogma, qui docent, hominẽ proprijs viribus inchoare posse suam conuersionẽ: absoluerẽ autem, sine Spiritus sancti gratia, nõ posse.

Item,

IIII.

Item, cum docetur, licet homo non renatus, ratione liberi Arbitrij, ante sui regenerationem infirmior quidem sit, quam ut conuersionis suæ initium facere, atq; proprijs viribus sese ad Deum conuertere, & legi Dei toto corde parere valeat: tamen, si Spiritus sanctus prædicatione verbi initium fecerit, suamq; gratiam in verbo homini obtulerit, tum hominis voluntatem, proprijs & naturalibus suis viribus quodammodo aliquid, licet id modiculum, infirmum, & languidum admodum sit, cōuersionem adiuuare, atq; cooperari, & seipsam ad gratiam applicare, præparare, eam apprehendere, amplecti, & Euangelio credere posse.

V.

Item, Hominem, post regenerationem, legem Dei perfectè obseruare atq; implere posse: eamq; impletionem esse nostram coram Deo iusticiam, qua vitam æternam promereamur.

VI.

Reijcimus etiam, damnamusq; Enthufiasta

Enthufiaftæ
vocantur,
qui neglecta
prædicatio-
ne verbi di-
uini, cœle-
ftes reuela-
tiones Spi-
ritus expe-
ctant.

Enthufiaftarum errorem: qui fingunt, Deum
immediatè, abfque verbi Dei auditu,
& fine Sacramentorum vfu, homines ad
fe trahere, illuminare, iuftificare & fal-
uare.

VII.

Item, Deum in conuerfione & re-
generatione hominis, fubftantiam & ef-
fentiam veteris Adami, & præcipuè
animam rationalem penitus abolere,
nouamq; animæ effentiam ex nihilo, in
illa conuerfione, & regeneratione
creare.

VIII.

Item, Cùm hi fermones citra decla-
rationem vfurpantur, quòd videlicet
hominis voluntas, ante conuerfionem,
in ipfa conuerfione, & poft conuerfio-
nem, Spiritui fancto repugnet: & quòd
Spiritus fanctus ijs detur, qui ex propo-
fito & pertinaciter ipfi refiftunt. Nam
Deus in conuerfione ex nolentibus vo-
lentes facit, & in volentibus habitat: vt
Auguftinus loqui folet.

Quod verò ad dicta quædam, tùm
Patrum, tùm Neotericorum quorun-
dam

dam doctorum attinet: Deus trahit, sed volentem trahit: & hominis voluntas in conuersione non est otiosa, sed agit aliquid: iudicamus hæc formæ sanorum verborum non esse analoga. Afferuntur enim hæc dicta ad cõfirmandam falsam opinionem, de viribus humani arbitrij in hominis conuersione, contra doctrinam, quæ soli gratiæ diuinæ id opus attribuit. Ideo quæ ab eiusmodi sermonibus, quando de conuersione hominis ad Deum agitur, abstinendum censemus.

Contrà autem rectè docetur, quòd Dominus in conuersione, per Spiritus sancti tractionem (id est, motum & operationem) ex hominibus repugnantibus & nolentibus, volentes homines faciat: & quòd post conuersionem in quotidianis pœnitentiæ exercitijs hominis renati voluntas non sit ociosa, sed omnibus Spiritus sancti operibus, quæ ille per nos efficit, etiam coope- retur.

Item, Quòd D. Lutherus scripsit, hominis voluntatem in conuersione, purè passiuè se habere: id rectè & dextrè est accipiendum, videlicet, respectu diuinæ gratiæ in accipiendis nouis mo-

H

tibus:

ribus: hoc est, de eo intelligi oportet, quando Spiritus Dei per verbum auditum, aut per usum Sacramentorum hominis voluntatem aggreditur, & conversionem atque regenerationem in homine operatur. Postquam enim Spiritus sanctus hoc ipsum iam operatus est, atque effecit, hominisque voluntatem sola sua diuina virtute & operatione immutauit atque renouauit: tunc reuera hominis noua illa voluntas instrumentum est & organon Dei Spiritus sancti, vt ea non modo gratiam apprehendat, verum etiam in operibus sequentibus Spiritui sancto cooperetur.

Relinquuntur igitur ante conuersionem hominis duæ tantum efficientes causæ, (ad conuersionem efficaces) nimirum Spiritus sanctus, & verbum Dei, quod est instrumentum Spiritus sancti, quo conuersionem hominis efficit. Hoc verbum homo certè audire debet: sed tamen vt illud ipsum vera fide amplectatur, id nequaquam suis viribus proprijs, sed sola gratia & operatione Dei Spiritus sancti obtinere potest.

III.

DE IUSTITIA
FIDEI CORAM
DEO.

Status controuersiae.



VNANIMI consensu (ad normam verbi diuini & sententiam Augustanae Confessionis) in Ecclesijs nostris docetur, nos peccatores longe miserrimos sola in Christum fide coram Deo iustificari & saluari: ita, vt Christus solus nostra sit iustitia. Hic autem Iesus Christus Saluator noster, & iustitia nostra, verus Deus est, & verus homo, etenim diuina & humana naturae in ipso sunt personaliter vnitae. Quaesitum igitur fuit: secundum quam naturam Christus nostra sit iustitia. Et hac occasione duo errores, & quidem inter se pugnantes, Ecclesias quasdam perturbarunt.

Jerem. 23.

1. Cor. 1.

2. Cor. 5.

H 2

Vna

DE IUSTITIA FIDEI

Vna enim pars fenfit, Christum tantummodo secundum diuinam naturam esse nostram iustitiam: si, videlicet, ille per fidē in nobis habitet: etenim omnia hominum peccata, collata nimirum cum illa per fidem inhabitante diuinitate, esse instar vnus guttulæ aquæ, cum magno mari comparatæ. Contra hanc opinionem alij quidam asseruerunt, Christum esse nostram coram Deo iustitiam, duntaxat secundum humanam naturam.

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina piarum
Ecclesiarum, vtrique commemo-
rati errori opposita.

I.

AD refellendum vtrumque errorem, credimus, docemus, & confitemur vnanimiter, quòd Christus verè sit nostra iustitia: sed tamen neque secundum solam diuinam naturam, neque secundum solam humanam naturam, sed totus Christus, secundum vtramque naturam, in SOLA, videlicet, obediētia sua: quam

quam patri ad mortem vsque absolutif-
simam Deus & homo præstitit: eaq̃ no-
bis peccatorum omnium remissionem,
& vitam æternam promeruit. Sicut scri-
ptum est: Sicut per inobedientiam vni-
us hominis peccatores constituti sunt
multi: ita per vnus obedientiam iusti
constituentur multi, Rom. 5.

II.

Credimus igitur, docemus, & con-
fitemur, hoc ipsum nostram esse coram
Deo iustitiam, quòd Dominus nobis
peccata remittit, ex mera gratia, absque
vllò respectu præcedentium, præsentium,
aut consequentium nostrorum ope-
rum, dignitatis aut meriti. Ille enim do-
nat atque imputat, nobis iusticiam obe-
dientiæ Christi: propter eam iustitiam
à Deo in gratiam recipimur, & iusti re-
putamur.

III.

Credimus etiam, docemus, & confi-
temur, SOLAM FIDEM esse illud me-
dium & instrumentum, quo Christum
saluatorem, & ita in Christo iustitiam il-
lam, quæ coram iudicio Dei consistere

H 3 potest,

DE IUSTITIA FIDEI

potest, apprehendimus: propter Christum enim fides illa nobis ad iustitiam imputatur, Rom. 4.

IIII.

Credimus præterea, docemus & confitemur, fidem illam iustificantem non esse nudam notitiam historiae de Christo, sed ingens atque tale Dei donum, quo Christum Redemptorem nostrum, in verbo Euangelij rectè agnoscimus, ipsiq; confidimus: quòd videlicet, propter solam ipsius obedientiam, ex gratia, remissionem peccatorum habeamus, sancti & iusti coram Deo patre reputemur, & æternam salutem consequamur.

V.

Credimus, docemus, & confitemur, vocabulum (iustificare) phrasi Scripturæ sacræ, in hoc articulo, idem significare, quod, absolvere à peccatis: ut ex dicto Salomonis intelligi potest: Qui iustificat impium, & qui cōdemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum. Item: Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui iustificat.

Prover. 17.

Rom. 8.

Et, si

Et, si quando pro vocabulo iustificationis, vocabula regenerationis & viuificationis vsurpantur: (quod in Apologia Augustanæ Confessionis factum est) sunt ea in illa superiore significatione accipienda. Nam aliâs eæ voces de hominis renouatione intelligendę sunt, quę à fidei iustificatione recte discernitur.

VI.

Credimus, docemus, & confitemur etiam, etsi verè in Christum credentes & renati multis infirmitatibus & nãuis vsq; ad mortem sunt obnoxij: non tamen illis, vel de iustitia, quę per fidem ipsis imputatur, vel de æterna salute esse dubitandum: quin potius firmiter illis statuendum esse, quòd propter Christum, iuxta promissionem & immotum verbum Euangelij, Deum sibi placatum habeant.

VII.

Credimus, docemus, & confitemur, quòd ad conseruandam puram doctrinam de iustitia fidei coram Deo, necessarium sit: vt particule exclusiue,

H 4

(quibus

DE IVSTITIA FIDEI

(quibus Apostolus Paulus Christi meritum ab operibus nostris prorsus separat, SOLIQUE Christo eam gloriam tribuit) quàm diligentissime retineantur, vt cum Paulus scribit, ex gratia, gratis, sine meritis, absque lege, sine operibus, nō ex operibus: Quæ omnia hoc ipsum dicunt: SOLA fide in Christum iustificamur & saluamur.

VIII.

Credimus, docemus, & confitemur, etsi antecedens contritio, & subsequens noua obedientia ad articulum iustificationis coram Deo non pertinent: non tamen talem fidem iustificantem esse fingendam, quæ vnà cum malo proposito, peccandi videlicet, & contra conscientiam agendi, esse & stare possit. Sed postquam homo per fidem est iustificatus, tum veram illam & viuam fidem esse per caritatem efficacem, & bona opera semper fidem iustificantem sequi, & vnà cum ea, si modò vera & viua fides est, certissimè deprehendi. Fides enim vera nunquam sola est, quin caritatem & spem semper secum habeat.

ANTI.

ANTITHESIS, SEV
NEGATIVA.Reiectio contrariæ &
falsæ doctrinæ.

Repudiamus ergo & damnamus
omnia falsa dogmata, quæ iam re-
citabimus.

I.

Christum esse iustitiam nostram so-
lummodo secundum diuinam naturam.

II.

Christum esse iustitiam nostram
tantummodo iuxta humanam natu-
ram.

III.

In dictis propheticis & Apostoli-
cis, ubi de iustificatione fidei agitur, vo-
cabula (iustificare & iustificari) non
idem esse, ac à peccatis absoluerè, & ab-
solui, & remissionem peccatorum con-
sequi: Sed nos per caritatem à Spiritu
sancto infusam, per virtutes, & per ope-
ra, quæ

DE IUSTITIA FIDEI

ra, quæ à charitate promanant, re ipsa
coram Deo iustos fieri.

III.

Fidem non respicere in solam Chri-
sti obedientiam, sed in diuinam eius
naturam: quatenus, videlicet, ea in no-
bis habitet atque efficax sit: vt per
eam inhabitationem peccata nostra te-
gantur.

V.

Fidem esse talem fiduciam in obe-
dientiam Christi, quæ possit in eo etiam
homine permanere & consistere, qui ve-
ra pœnitentia careat, & vbi charitas non
sequatur: sed qui contra conscientiam
in peccatis perseueret.

VI.

Non ipsum Deum, sed tantum dona
Dei in credentibus habitare.

VII.

Fidem ideo salutem nobis confer-
re, quòd nouitas illa, quæ in dilectione
erga Deum & proximum consistit, per
fidem in nobis inchoetur.

Fidem

VIII.

Fidem in iustificationis negocio primas quidem partes tenere: sed tamen etiam renouationem & caritatem ad iustitiam nostram coram Deo pertinere: Ita, vt renouatio & charitas quidem non sint principalis causa nostræ iustitiæ: sed tamen iustitiam nostram coram Deo (si absint renouatio & caritas) non esse integram & perfectam.

IX.

Credentes in Christum coram Deo iustose esse & saluos, simul per imputatam Christi iustitiam, & per inchoatam nouam obedientiam: vel, partim quidem per imputationem iustitiæ Christi, partim verò per inchoatam nouam obedientiam.

X.

Promissionem gratiæ nobis applicari per fidem in corde, & præterea etiam per confessionem, quæ ore fit, & per alias virtutes.

XI.

Fidem non iustificare sine bonis operibus:

D E B O N I S

ribus : itaque bona opera necessario
ad iustitiam requiri, & absque eorum
praesentia, hominem iustificari non
posse.

IIII.
DE BONIS OPE-
RIBVS.

Status controuersiae.

IN doctrina de bonis operibus,
duae controuersiae in quibus-
dam Ecclesijs ortae sunt.

I.

Primum schisma inter Theologos
quosdam factum est, cum alij assererent:
bona opera necessaria esse ad salutem:
impossibile esse saluari sine bonis ope-
ribus: Et, neminem vnquam sine bonis
operibus saluatum esse: Alij vero do-
cerent: Bona opera ad salutem esse per-
niciosa.

II. Al-

II.

Alterum schisma inter Theologos nonnullos super vocabulis (necessarium, & liberum) ortum est. Altera enim pars contendit, vocabulum (necessarium) non esse vsurpandum de noua obedientia: eam enim non à necessitate quadam & coactione, sed à spontaneo spiritu promanare. Altera verò pars vocabulum (necessarium) prorsus retinendum censuit: propterea, quòd illa obedientia non in nostro arbitrio posita & libera fit, sed homines renatos illud obsequium debere præstare.

Et dum de commemoratis illis vocabulis disputatum est, tandem etiam de re ipsa fuit disceptatum. Alij enim contenderunt, Legem apud Christianos prorsus non esse docendam: sed tantummodò doctrina Euangelij homines ad bona opera inuitandos esse. Alij hanc opinionem impugnarunt.

A F F I R M A T I V A.

Sincera Ecclesiæ doctrina
de hac controuersia,

Vt

D E B O N I S

VT hæc controuersia solidè & dextre explicentur atque decidantur, hæc nostra fides, doctrina & confessio est.

I.

Quòd bona opera veram fidem (si modo ea non sit mortua, sed viua fides) certissimè atq; indubitato sequantur, tanquam fructus bonæ arboris,

II.

Credimus etiam, docemus, & confitemur: quòd bona opera penitus excludenda sint, non tantum cum de iustificatione fidei agitur, sed etiam cum de salute nostra æterna disputatur, sicut Apostolus perspicuis verbis testatur, cum ait: Sicut & David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, &c. Et alibi: Gratia, inquit, estis saluati, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur.

Rom. 4.

Ephes. 2.

Cre-

III.

Credimus, docemus, & confitemur,
omnes quidem homines, præcipuè verò
eos, qui per Spiritum sanctum regenera-
ti sunt & renouati, ad bona opera faci-
enda debitores esse.

IIII.

Et in hac sententia vocabula illa
(necessarium, debere, oportere) rectè
vsurpantur, etiam de renatis homini-
bus, & cum forma sanorum verborum
non pugnant.

V.

Sed tamen per vocabula (necessi-
tas, necessarium) quando videlicet de
renatis est sermo, non intelligenda est
coactio, sed tantum debita illa obedi-
entia: quam verè credentes, quatenus
renati sunt, non ex coactione, aut com-
pulsu legis, sed libero & spontaneo spi-
ritu præstant: quando quidem non am-
plius sub lege sunt, sed sub gratia.

Rom. 8.

VI.

Credimus igitur, docemus, & confi-
temur, cum dicitur: renatos bene ope-
rari libero & spontaneo spiritu: id
non

D E B O N I S

non ita accipiendum esse, quòd in ho-
minis renati arbitrio relictum sit, bene
aut male agere, quando ipsi visum fue-
rit: vt nihilominus tamen fidem retine-
at, etiamsi in peccatis ex proposito per-
seueret.

VII.

Hoc tamen non aliter, quàm de spi-
ritu hominis iam liberato intelligen-
dum est: sicut hanc rem ipse Christus,
Rom. 8. eiusq; Apostoli declarant: quòd vide-
licet spiritus hominis liberatus bene
operetur, non formidine pœnæ, vt ser-
uus: sed iustitiæ amore: qualem obedi-
entiam filij præstare solent.

VIII.

Hanc verò libertatem spiritus, in
electis DEI filijs non perfectam, sed
multiplici infirmitate adhuc grauata
Rom. 7. agnoscimus: quemadmodum D. Pau-
Galat. 5. lus super ea re de sua ipsius persona
conqueritur.

IX.

Illam tamen infirmitatem Dominus
electis suis non imputat: idq; propter
media-

mediatorem Christum. Sic enim scriptum est: Nihil iam damnationis est his, Rom. 8.
qui in Christo Iesu sunt.

X.

Credimus præterea, docemus & confitemur, fidem & salutem in nobis conseruari, aut retineri non per opera, sed tantum per Spiritum Dei, & per fidem (*qua scilicet salus custoditur*) bona autem opera testimonia esse, quòd Spiritus sanctus præsens sit, atque in nobis habitet.

NEGATIVA.

Falsa doctrina, superiori
repugnans.

I.

Reiicimus igitur, & damnamus subsequentes phrasas, cum docetur:
Bona opera necessaria esse ad salutem:
Neminem vnquam sine bonis operibus saluatum: Impossibile esse, sine bonis operibus saluari.

I

II. Re-

Repudiamus & damnamus nudam hanc, offendiculi plenam, & Christianæ disciplinæ perniciosam phrasin: Bona opera noxia esse ad salutem.

His enim postremis temporibus, non minus necessarium est, vt homines ad rectè & piè viuendi rationem, bonaq; opera inuitentur atque moneantur, quam necessarium sit, vt ad declarandam fidem atq; gratitudinem suam erga Deum in bonis operibus sese exerceant: quam necessarium est, cauere, ne bona opera negotio iustificationis admisceantur. Nō minus enim homines Epicuræa persuasionem de fide, quam Pharisæica & Papistica fiducia in propria opera & merita, damnationem incurrere possunt.

Præterea reprobamus atq; damnamus dogma illud: quòd fides in Christum non admittatur, & Spiritus sanctus nihilominus in homine habitet, etiam si sciens volensq; peccet: & quòd sancti atq; electi Spiritum sanctum retineant, tametsi in adulterium, aut in alia scelera prolabantur, & in ijs perseuerent.

V

DE LEGE ET
EVANGELIO.

Status controuersia.

QVAESITVM fuit: an Euange-
lium propriè sit tantummodò
concio de gratia Dei, quæ re-
missionem peccatorum nobis annun-
ciet: An verò etiam sit concio pœni-
tentia, arguens peccatum incredulita-
tis, quippe quæ non per legem, sed per
Euangelion duntaxat arguatur.

A F F I R M A T I V A.

Sincera doctrina, cum
Norma verbi D E I
congruens.

I.

CRedimus, docemus, & confitemur,
discrimen legis & Euangelij, vt cla-

I 2 rissi-

D E L E G E T

rissimum quoddam lumen, singulari diligencia in Ecclesia Dei retinendum esse: vt verbum Dei iuxta admonitionem D. Pauli, rectè secari queat.

I I.

Credimus, docemus, & confitemur, Legem esse propriè doctrinam diuinitus reuelatam, quæ doceat, quid iustum, Deoq; gratum sit: quæ etiã quicquid peccatum est, & voluntati diuinæ aduersatur, redarguat.

I I I.

Quare, quicquid extat in sacris litteris, quod peccata arguit, id reuera ad Legis concionem pertinet.

I I I I.

Euangelion verò propriè doctrinam esse censemus, quæ doceat, quid homo credere debeat, qui Legi Dei non satisfecit, & idcirco per eandem damnatur: videlicet, quòd illum credere oporteat, Iesum Christum omnia peccata expiassè, atque pro ijs satisfecissè, & remissionem peccatorum, iustitiam coram Deo consistentem, & vitam æternam, nullo

nullo interueniente peccatoris illius merito impetrasse.

V.

Cùm autem vocabulum (Euangelij) non semper in vna eademq; significatione in sacra Scriptura vsurpetur: vnde & dissensio illa primùm orta est: credimus, docemus, & confitemur, si vocabulum (Euangelij) de tota Christi doctrina accipiatur, quam ipse in ministerio suo (quemadmodum & eius Apostoli) professus est, (in qua significatione Marci 1. & Act. 20. vox illa vsurpatur) rectè dici & doceri, Euangelium esse concionem de pœnitentia & remissione peccatorum.

VI.

Quando verò Lex & Euangelion, sicut & ipse Moyses vt doctor legis, & Christus vt doctor Euangelij, inter se conferuntur: credimus, docemus & cōfitemur, quòd Euangelion non sit concio pœnitentiæ, arguens peccata: sed quòd propriè nihil aliud sit, quam latissimum quoddam nuncium, & concio plena consolationis, non arguens aut

I

3

terrens:

terrens: quandoquidem conscientias
 contra terrores Legis solatur, easq; in
 meritum solius Christi respicere iubet,
 & dulcissima prædicatione, de gratia &
 favore Dei, per meritum Christi impe-
 trato, rursus erigit.

VII.

Quod verò ad reuelationem pecca-
 ti attinet, sic sese res habent. Velum illud
 Moisis omnium hominū oculis est ob-
 ductum, quàm diu solam Legis concio-
 nem, nihil autem de Christo, audiunt.
 Itaq; peccata sua ex Lege nō verè agno-
 scunt: sed aut hypocritæ fiunt, qui iu-
 sticiæ propriæ opinione turgent, quales
 olim erant Pharisæi: aut in peccatis suis
 desperant: quod Iudas proditor ille fe-
 cit. Eam ob causam Christus sumit sibi
 Legem explicandam spiritualiter: &
 hoc modo ira Dei de cælo reuelatur su-
 per omnes peccatores: vt vera legis sen-
 tentia intellecta, animaduertatur, quan-
 ta sit illa ira. Et sic demum peccatores
 ad legem remissi, verè & rectè peccata
 sua agnoscunt. Talem verò peccatorum
 agnitionem solus Moises nunquam ex
 ipsis extorquere potuisset.

Etsi

Matth. 5.
 Rom. 7.

Etsi igitur concio illa de passione
& morte Christi, filij Dei, seueritatis &
terroris plena est, quæ iram Dei aduer-
sus peccata offendit: vnde demum ho-
mines ad legem Dei propius adducun-
tur: postquam velum illud Moisis abla-
tum est: vt tandem exactè agnoscant,
quanta videlicet Dominus in lege sua
à nobis exigat, quorum nihil nos præ-
stare possumus: ita, vt vniuersam no-
stram iustitiam in solo Christo quarere
oporteat.

VIII.

Tamen, quàm diu nobis Christi
passio & mors iram Dei ob oculos po-
nant, & hominem perterrefaciunt, tam
diu non sunt propriè concio Euange-
lij, sed Legis & Moisis doctrina: & sunt
alienum opus Christi, per quod accedit
ad proprium suum officium, quod est,
prædicare de gratia Dei, consolari, &
viuificare. Hæc propria sunt prædica-
tionis Euangelicæ.

I 4 NEGA-

Christi

NEGATIVA.

Contraria & falsa doctrina, quæ reijcitur.

Reijcimus igitur, vt falsum & perniciosum dogma, cum asseritur: quod Euangelion proprie sit concio poenitentiae, arguens, accusans, & damnans peccata: quod non sit tantummodo concio de gratia Dei. Hac enim ratione Euangelion rursus in legem transformatur: Meritum Christi, & sacrae literæ obscurantur: pijs mentibus vera & solida consolatio eripitur: & Pontificijs erroribus & superstitionibus fores aperiuntur.

VI.

DE TERTIO
VSV LEGIS.

Status controuersiae.

Cum

VM constat, legem Dei propter tres causas hominibus datam esse. Primò, vt externa quædam disciplina conseruetur, & feriatque intractabiles homines quasi repagulis quibusdam coërceantur. Secundò, vt per legem homines ad agnitionem suorum peccatorum adducantur. Tertiò, vt homines iam renati, quibus tamen omnibus multum adhuc carnis adhæret, eam ipsam ob causam certam aliquam regulam habeant, ad quam totam suam vitam formare possint & debeant, &c. Orta est inter paucos quosdam Theologos controuersia super tertio vsu Legis: videlicet, an Lex etiam renatis inculcanda, & eius obseruatio apud eos urgenda sit, an non. Alij, urgendam legem censuerunt: alij negarunt.

A F F I R M A T I V A.

Sincera & pia doctrina de hac controuersia.

I.

CRedimus, docemus & confitemur, etsi verè in Christum credentes, &
I S since-

D E T E R T I O V S V

sincerè ad Deum conuersi, à maledictione & coactione Legis per Christum liberati sunt: quòd ij tamen propterea non sint absque lege: quippe quos Filius Dei eam ob causam redemit, ut Legem dei Die noctuq; meditentur atq; in eius obseruatione sese assiduè exercent. Etenim ne primi quidem nostri parentes, etiam ante lapsum, prorsus sine lege vixerunt: quæ certè cordibus ipsorum tum inscripta erat: quia DOMINVS eos ad imaginem suam creauerat.

Gal. 2.

Rom. 7.

Psal. 911.

Genes. 2. 3.

1. Cor. 9.

Rom. 6.

Gal. 2.

Psal. 119.

Heb. 13.

II.

Credimus, docemus, & confitemur, concionem Legis non modò apud eos, qui fidem in Christum non habent, & pœnitentiam nondum agunt, sed etiam apud eos, qui verè in Christum credunt, verè ad Deum conuersi, & renati, & per fidem iustificati sunt, sedulò vrgendam esse.

III.

Etsi enim renati, & spiritu mentis suæ renouati sunt: tamen regeneratio illa & renouatio in hac vita non est omnibus

omnibus numeris absoluta, sed duntaxat inchoata. Et credentes illi, spiritu mentis suæ perpetuò luctantur cum carne, hoc est, cum corrupta natura, quæ in nobis ad mortem vsque hæret, Et propter veterem Adamum, qui adhuc in hominis intellectu, volūtate, & in omnibus viribus eius infixus residet opus est, vt homini Lex Dei semper præluceat: ne quid priuatæ deuotionis affectu in negotio Religionis confingat, & cultus diuinos verbo Dei non institutos eligat. Item, ne vetus Adam pro suo ingenio agat, sed potius contra suam voluntatem, non modo admonitionibus & minis Legis, verum etiam pœnis & plagis coërceatur, vt spiritui obsequatur, seq̃ ipsi captiuum tradat.

Galat. 5.

Rom. 7.

Rom. 12.

1. Cor. 9.

Rom. 6.

Galat. 6.

Psal. 119.

Heb. 13.

. IIII.

Iam quod ad discrimen operum Legis, & fructuū spiritus attinet, credimus, docemus, & confitemur, quòd opera illa, quæ secundum præscriptum Legis fiunt, eatenus opera Legis sint & appellentur, quatenus ea solummodo vrgendo, & minis pœnarum atque iræ diuinæ, ab homine extorquentur.

Fructus

Fructus verò spiritus sunt opera ista, quæ Spiritus Dei, in credentibus habitans, per homines renatos operatur: & quæ à credentibus fiunt, quatenus renati sunt: ita quidem spontè ac liberè, quasi nullum præceptum vnquam accepissent, nullas minas audiissent, nullamq; remunerationem expectarent. Et hoc modo Filij Dei in lege viuunt, & secundum normam legis diuinæ vitam suam instituunt: hanc viuendi rationem D. Paulus vocare solet in suis epistolis, legem Christi, & legem mentis.

Rom. 7.8.

VI.

Ad hunc modum vna eademq; lex est manetq;, immota videlicet Dei voluntas, siue pœnitentibus siue impœnitentibus, renatis aut non renatis proponatur. Discrimen autem, quo ad obedientiam, duntaxat in hominibus est: quorum alij non renati legi obedientiam qualemcunque à lege requisitam præstant: sed coacti & inuiti id faciunt: (sicut etiam renati faciunt, quatenus adhuc carnales sunt.) Credentes verò in Christum, quatenus renati sunt, absque coactione, libero & spontaneo spiritu, talem

lem obedientiam præstant, qualem aliàs nulla, quantūvis seuerissimæ legis comminationes extorquere possent.

NEGATIVA.

Falsæ doctrinæ reiectio.

Repudiamus itaque vt perniciosum & falsum dogma, quod Christianæ disciplinæ & veræ pietati aduersatur: cū docetur, quòd lex Dei (eo modo, quo suprà dictum est) non sit pijs & verè credentibus, sed tantum impijs, infidelibus & non agentibus pœnitentiam, proponenda, atque apud hos solos sit virgenda.

VII.

DE COENA
DOMINI.

Si Cingliani doctores non in eorum Theologorum numero, qui Augustanam Confessionem

nem agnoscunt & profitentur, habēdi sunt: quippe qui tum, cum illa Confessio exhiberetur, ab eis secessionem fecerunt: Tan en cūm nunc sese in eorum cœtum calidè ingerant, erroremq̃ suum sub prætextu piæ illius Confessionis quàm latissimè spargere conentur, etiam de hac controuersia Ecclesiam DEI erudiendam iudicauimus.

Status controuersia, quæ est inter nos & Sacramentarios, in hoc articulo.

QUæritur, an in sacra Cœna verum corpus & verus sanguis Domini nostri IESV CHRISTI verè & substantialiter sint præsentia, atq̃ cum pane & vino distribuuntur, & ore sumantur, ab omnibus illis, qui hoc Sacramento vtuntur: siue digni sint, siue indigni, boni aut mali, fideles aut infideles: ita tamen, vt fideles è Cœna Domini consolationem & vitam percipiant: infideles autem eam ad iudicium sumant. Cingliani hanc præsentiam & dispensationem

nem

item corporis & sanguinis Christi in sa-
cra Cœna negant: nos verò eandem af-
fueramus. Ad solidam huius controuersia ex-
plicationem primum sciendum est, duo
esse Sacramentorum genera. Qui-
dam enim sunt Sacramentarij crassi ad-
modum: hi perspicuis & claris verbis id
aperte profitentur, quod corde senti-
unt: quòd, videlicet, in Cœna Domini
nihil amplius, quàm panis & vinum sint
præsentia, ibiq; distribuuntur, & ore
percipiuntur. Alij autem sunt versuti &
callidi, & quidem omnium nocentissi-
mi Sacramentarij: hi de negotio Cœnæ
Dominicæ loquentes, ex parte nostris
verbis splendide admodum vtuntur: &
præ se ferunt, quòd & ipsi veram præ-
sentiam veri, substantialis, atque viui
corporis & sanguinis Christi in sacra
Cœna credant: eam tamen præsentiam
& manducationem dicunt esse spiritua-
lem, quæ fiat fide. Et hi posteriores Sa-
cramentarij sub his splendidis verbis
eandem crassam, quam priores habent,
opinionem occultant & retinent: quòd
videlicet præter panem & vinum, nihil
amplius in Cœna Domini sit præsens,
& ore

D E C O E N A

& ore sumatur. Vocabulum enim (spiritualiter) nihil aliud ipsis significat, quàm spiritum Christi, seu virtutem absentis corporis Christi, eiusque meritum, quod præsens sit: Ipsum verò Christi corpus nullo prorsus modo esse præsens, sed tantummodò id sursum in supremo cœlo contineri sentiunt: & affirmant, oportere nos cogitationibus fidei sursum assurgere, inque cœlum ascendere: & ibidem (nulla autem ratione cum pane & vino sacræ Cœnæ) illud corpus & sanguinem Christi quærendum esse.

A F F I R M A T I V A.

Confessio sinceræ doctrinæ, de Cœna Domini, contra Sacramentarios.

I.

CRedimus, docemus, & confitemur, quòd in Cœna Domini, corpus & sanguis Christi verè & substantialiter sint præsentia: & quòd vnà cum pane & vino verè distribuuntur, atque sumantur.

II. Cre-

II.

Credimus, docemus, & confitemur, verba Testamenti Christi non aliter accipienda esse, quàm sicut verba ipsa ad literam sonant: ita, ne panis absens Christi corpus, & vinum absentem Christi sanguinem significant: sed ut propter sacramentalem vnionem, panis & vinum verè sint corpus & sanguis Christi.

III.

Iam quod ad consecrationem atinet, credimus, docemus, & confitemur, quòd nullum opus humanum, neq; vlla ministri Ecclesiæ pronuntiatio præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna, causa sit: sed quòd hoc soli omnipotenti virtuti Domini nostri Iesu Christi sit tribuendum.

IIII.

Interim tamen vnanimi consensu, credimus, docemus, & confitemur, in vsu Cœnæ Dominicæ verba institutionis Christi nequaquam omittenda, sed publicè recitanda esse, sicut scriptum est: Calix benedictionis, cui benedici-

K

mus,

mus, nonne communicatio sanguinis
Christi est? &c. Illa autem benedictio
fit, per recitationem verborum Christi.

Fundamenta autē, quibus in hoc ne-
gocio CONTRA SACRAMENTA-
RIOS, nitimur, hæc sunt: quæ etiam
D. Lutherus in maiore sua de Cœna
Domini confessione, posuit.

Primum fundamentum est articulus
fidei nostræ Christianæ: videlicet, Iesus
Christus est verus, essentialis, naturalis,
perfectus Deus & homo in vnitate per-
sonæ, inseparabilis & indiuisus.

Secundum: quòd dextera Dei ubi-
que est: ad eam autem Christus, ra-
tione humanitatis suæ, verè & re ipsa,
collocatus est: ideoq; præfens guber-
nat, in manu sua, & sub pedibus suis, vt
Scriptura loquitur, habet omnia, quæ in
cælo sunt & in terra. Ad eam Dei dexte-
ram nullus alius homo, ac ne Angelus
quidem, sed solus Mariæ Filius colloca-
tus est, vnde & ea, quæ diximus, præsta-
re potest.

Tertium: quòd verbum Dei non
est falsum, aut mendax.

Quar-

Quartum: Quod Deus varios modos nouit, & in sua potestate habet, quibus alicubi esse potest: nec ad unicum illum alligatus est, quem Philosophi **LOCALEM** aut circumscriptum appellare solent.

VI.

Credimus, docemus, & confitemur, corpus & sanguinem **CHRISTI** non tantum spiritualiter per fidem, sed etiam ore, non tamen Capernaiticè, sed supernaturali & cœlesti modo, ratione Sacramentalis vnionis, cum pane & uino sumi. Hoc enim uerba Christi perspicuè testantur, quibus præcipit, accipere, edere, bibere: idè ab Apostolis **Marc. 14.** factum esse Scriptura commemorat, dicens: **1. Cor. 10.** Et biberunt ex eo omnes. Et Paulus inquit: Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi: hoc est, qui hunc panem edit, corpus Christi edit. Idem magno consensu præcipui ex antiquissimis Ecclesiæ doctoribus, Chrysostronus, Cyprianus, Leo primus, Gregorius, Ambrosius, Augustinus, testantur.

K 2 Credi-

VII.

Credimus, docemus, & confitemur, quòd nò tantùm verè in Christum credentes, & qui dignè ad Cœnam Domini accedunt: verùm etiam indigni & infideles verum corpus & sanguinem Christi sumant: ita tamen, vt nec consolationem nec vitam inde percipiant, sed potius, vt illis sumtio ea ad iudicium & damnationem cedat, si non conuertantur, & pœnitentiam agant.

Etsi enim Christum, vt Saluatorem, à se repellunt, tamen eundem, licet maximè inuiti, vt seuerum iudicẽ, admittere coguntur. Is verò non minus præsens iudicium suum, in conuiuis illis impœnitentibus exercet, quàm præsens consolationem & vitam in cordibus verè credentium, & dignorum conuiuarum operatur.

VIII.

Credimus, docemus, & confitemur, vnum tantùm genus esse indignorum conuiuarum: ij sunt soli illi, qui non credunt. De his scriptum est: Qui non credit, iam iudicatus est. Et hoc iudicium in-

Iohan. 3.

1. Cor. 11.

um indigno sacrae Cœnæ usu, cumula-
tur & aggrauatur.

I X.

Credimus, docemus, & confite-
mur, quòd nullus verè credentium,
quàm diu viuam fidem retinet, sacram
Domini Cœnam ad iudicium sumat:
quantacunque fidei imbecillitate labo-
ret. Cœna enim Domini in primis pro-
pter infirmos in fide, pœnitentes tamen,
instituta est: vt ex ea veram consolatio-
nem & imbecillis fidei suæ confirma-
tionem percipiant.

X.

Credimus, docemus, & confite-
mur, totam dignitatem conuiuiarum
cœlestis huius Cœnæ in sola sacratissi-
ma obedientia & absolutissimo Christi
merito consistere. Illud autem nobis ve-
ra fide applicamus, & de applicatione
huius meriti per Sacramentum certi red-
dimur, atq; in animis nostris confirma-
mur. Nequaquam autem dignitas illa ex
virtutibus nostris, aut ex internis vel
externis nostris præparationibus pen-
det.

D E C O E N A

N E G A T I V A.

Contrariæ & damnatæ
Sacramentariorum doctri-
næ reiectio.

Reiicimus atque damnamus vnani-
mi cōsensu, omnes erroneos, quos
iam recitabimus, articulos, vt qui com-
memorata piæ doctrinæ, simplicitati fi-
dei, & sinceræ Confessioni de Cœna
Domini repugnant.

I.

Papisticam Transubstantiationem :
cùm videlicet in Papatu docetur, panem
& vinum in sacra Cœna substantiam
atque naturalem suam essentiam amitte-
re, & ita annihilari : atque elementa illa
ita in Christi corpus transmutari, vt
præter externas species nihil de ijs reli-
quum maneat.

II.

Papisticum Missæ sacrificium, quod
pro peccatis viuorum & mortuorum
offertur.

Sacri-

III.

Sacrilegium, quo Laicis vna tantum pars Sacramenti datur: cum nimirum contra expressa verba Testamenti Christi, calice illis interdicitur, atque ita sanguine Christi spoliantur.

IIII.

Dogma, quo docetur, quod verba Testamenti Iesu Christi non simpliciter intelligenda, & fide amplectenda sint, uti sonant: ea enim obscura esse: ideoque verum eorum sensum ex alijs Scripturae locis petendum esse.

V.

Corpus Christi in sacra Cœna non ore vna cum pane sumi: sed tantum panem & vinum ore accipi: corpus verò Christi spiritualiter duntaxat, fide nimirum, sumi.

VI.

Panem & vinum in Cœna Domini tantummodò symbola seu tesseræ esse, quibus Christiani mutuò sese agnoscant.

K 4

Panem

VII.

Panem & vinum tantum esse figuras, similitudines, & typos, corporis & sanguinis Christi, longissimo intervallo à nobis absentis.

VIII.

Panem & vinum tantummodò signa, memoriæ conseruandæ gratia, instituta esse, quæ sigillorum & pignorum rationem habeant; quibus nobis confirmetur, quòd fides, cùm in cælum illa ascendit & euehitur, ibi tam verè corporis & sanguinis Christi particeps fiat, quàm verè nos in sacra Cœna panem manducamus, & vinum bibimus.

IX.

Fidem nostram de salute certam reddi & confirmari in Cœna Domini, non nisi signis illis externis, pane & vino: nequaquam autem verè præsentibus vero corpore & sanguine Christi.

X.

In sacra Cœna duntaxat virtutem, operationem, & meritum absentis corporis & sanguinis Christi dispensari.

XI. Chri-

X I .

Christi corpus ita in cœlo inclusum esse, vt nullo prorsus modo, simul eodem tempore, pluribus aut omnibus locis in terris præsens esse possit, vbi Cœna Domini celebratur.

X I I .

Christum, substantialem corporis & sanguinis sui præsentiam neque promittere neque exhibere potuisse, quando quidem id proprietas humanæ ipsius naturæ assumptæ nequaquam ferre aut admittere possit.

X I I I .

D E V M ne quidem vniuersa sua omnipotentia (horrendum dictu & auditu) efficere posse, vt corpus Christi, vno eodemq; tēpore in pluribus, quàm vno tantùm loco, substantialiter præsens sit.

X I I I I .

Non omnipotens illud verbum Testamenti Christi, sed fidem præsentiæ corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna causam esse.

K 5

XV. Fi-

XV.

Fideles corpus & sanguinem Christi non in pane & vino Cœnæ Dominicæ quærere, sed oculos in cœlum attollere, & ibi corpus Christi quærere debere.

XVI.

Infideles & impœnitentes Christianos in Cœna Domini, non verum corpus & sanguinem Christi, sed panem tantum, & vinum sumere.

XVII.

Dignitatem conuiuiarum in hac cœlesti Cœna non ex sola vera in Christum fide, sed etiam ex præparatione hominum externa pendere.

XVIII.

Eos etiam, qui veram & viuam in Christum fidem habent, eamq̃ retinent, nihilominus hoc Sacramentum ad iudicium sumere posse: propterea quòd in externa sua conuersatione adhuc imperfecti sint.

Externa

XIX.

Externa visibilia Elementa, panis
& vini, in Sacramento adoranda esse.

XX.

Præter hæc, iusto Dei iudicio relin-
quimus omnes curiofas, sannis virulen-
tis tinctas, & blasphemias quæstiones,
quæ honestè, piè, & sine graui offensio-
ne recitari nequeunt, aliosq; sermones;
quando de supernaturali & cœlesti My-
sterio huius Sacramenti, crassè, carna-
liter, Capernaiticè, & planè abominan-
dis modis, blasphemè, & maximo cum
Ecclesiæ offendiculo, Sacramentarij lo-
quuntur.

XXI.

Prorsus etiam reijcimus atque da-
mnamus Capernaiticam manducatio-
nem corporis Christi: quam nobis Sa-
cramentarij contra suæ conscientia te-
stimoniū, post tot nostras protestatio-
nes, malitiosè affingunt, vt doctrinā no-
stram apud auditores suos in odium ad-
ducant: quasi videlicet, doceamus,
corpus Christi dentibus laniari, & instar
alterius

alterius cuiusdam cibi, in corpore humano digeri. Credimus autem & asserimus, secundum clara verba Testamenti Christi, verā, sed supernaturalem manducationem corporis Christi: quemadmodum etiam verè, supernaturaliter tamen, sanguinem Christi bibi docemus. Hæc autem humanis sensibus aut ratione nemo comprehendere potest: quare in hoc negotio, sicut & in alijs fidei articulis, intellectum nostrum in obedientiam Christi captiuare oportet. Hoc enim mysterium in solo Dei verbo reuelatur, & sola fide comprehenditur.

VIII.

DE PERSONA
CHRISTI.

HX controuersia superiore de Cœna Domini inter sinceros Theologos Augustanæ Confessionis, & Calvinistas, qui alios etiam quosdam Theologos perturbarunt, dissen-
sio.

senſio orta eſt, de perſona Chriſti, de duabus in Chriſto naturis, & de ipſarum proprietatibus.

Status controuerſiæ.

PRincipalis huius diſſidij quæſtio fuit, an diuina & humana natura & vtriuſque proprietates propter vnionem perſonalem, REALITER, hoc eſt, verè & reipſa in perſona Chriſti inuicem communicent, & quouſque illa communicatio extendatur?

Sacramentarij affirmarunt, diuinam & humanam naturam in Chriſto eo modo perſonaliter vnitas eſſe, vt neutra alteri quicquam realiter, hoc eſt, verè, & reipſa, quod cuiuſq; naturæ proprium ſit, communicet: ſed nomina tantùm nuda communicari. Vnio (inquiunt illi) facit tantùm nomina communia: vt videlicet, Deus dicatur homo, & homo Deus appelletur: ita tamen, vt Deus nihil cum humanitate commune habeat: & viciffim humanitas nihil cum diuinitate, quo ad ipſius maiestatem & proprietates, realiter, hoc eſt, reuera & reipſa

ipsa commune habeat. Contrariam vero huic dogmati sententiam D. Lutherus, & cum ipso faciunt, aduersus Sacramentarios propugnarunt.

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina Ecclesiae
 Dei, de persona Christi.

AD explicandam hanc controuersiam & iuxta analogiam fidei nostrae Christianae decidendam fidem, doctrinam & confessionem nostram piam perspicue profiteamur, videlicet:

I.

Quod diuina & humana natura in CHRISTO personaliter vnitae sint, ita prorsus, vt non sint duo Christi, vnus Filius DEI, alter Filius hominis, sed vt vnus & idem sit DEI & hominis Filius.

Luc. 1.
 Rom. 9.

II.

Credimus, docemus, & confitemur, diuinam & humanam naturas, non in vnam substantiam commixtas, nec vnam

vnam in alteram mutatam esse: sed
vtramque naturam retinere suas proprie-
tates essentielles: vt quæ alterius naturæ
proprietas fieri nequeant.

III.

Proprietates diuinæ naturæ sunt, esse
omnipotentem, æternam, infinitam, &
secundum naturæ, naturalisq; suæ essen-
tiæ proprietatem, per se, vbiq; præsen-
tem esse, omnia nouisse, &c. Hæc omnia
neque sunt, neque vnquam fiunt huma-
næ naturæ proprietates.

IIII.

Humanæ autem naturæ propieta-
tes sunt: corpoream esse creaturam;
constare carne & sanguine, esse finitam
& circumscriptam, pati, mori, ascende-
re & descendere, de loco ad locum mo-
ueri, esurire, sitire, algere, æstu affligi: &
si quæ sunt similia. Hæc neque sunt ne-
que vnquam fiunt proprietates diuinæ
naturæ.

V.

Cum verò diuina & humana naturæ
personaliter, hoc est, ad constituendum
vnum

DE PERSONA

vnum ἰεσάϋωον, sint vnitæ, credimus, docemus, & confitemur, vnionem illam hypostaticam non esse talem copulationem aut combinationem, cuius ratione neutra natura cum altera personaliter, hoc est, propter vnionem personalem, quicquam commune habeat: qualis combinatio fit, cum duo asseres conglutinantur: vbi neuter alteri quicquam confert, aut aliquid ab altero accipit. Quin potius hinc summa communio est, quam Deus cum assumpto homine verè habet: & ex personali vnione, & summa ac ineffabili communionem, quæ inde consequitur, totum illud promanat, quicquid humani de Deo, & quicquid diuini de homine Christo dicitur & creditur. Et hanc vnionem atque communionem naturarum antiquissimi Ecclesiæ Doctores similitudine ferri candentis, itemq; vnione corporis & animæ in homine, declararunt.

V I.

Hinc etiam credimus, docemus, atque confitemur, quòd Deus sit homo, & homo sit Deus: id quod nequaquam ita se haberet, si diuina & humana natura prorsus

prorsus inter se nihil reuera & reipsa communicarent.

Quomodo enim homo, Mariæ filius, Deus aut filius Dei altissimi verè appellari posset, aut esset, si ipsius humanitas cum filio Dei non esset personaliter vnita: atq; ita realiter, hoc est, verè & reipsa, nihil prorsus, excepto solo nudo nomine, cum ipso commune haberet?

V I I.

Eam ob causam credimus, docemus, & confitemur, quòd virgo Maria non nudum aut merum hominem duntaxat, sed verum Dei filium conceperit & genuerit: vnde rectè Mater Dei & appellatur & reuera est.

V I I I.

Inde porrò credimus, docemus, & confitemur, quòd non nudus homo tantum, pro nobis passus, mortuus, & sepultus sit, ad inferos descenderit, à mortuis resurrexerit, ad cœlos ascenderit, & ad Maiestatem & Omnipotentem Dei virtutem euectus fuerit: sed talis homo, cuius humana natura cum filio Dei tam arctam ineffabilemq; vnionem

L & com-

& communicationem habet, vt cum eo vna sit facta persona.

I X.

1. Cor. 2.
Actor. 20.

Quapropter verè filius Dei pro nobis est passus: sed secundum proprietatem humanæ naturæ, quam in vnitatem diuinæ suæ personæ assumit, sibiq; eam propriam fecit: vt videlicet, pati, & Pontifex noster summus, reconciliationis nostræ cum Deo causa esse posset. Sic enim scriptum est: Dominum gloriæ crucifixerunt. Et: sanguine Dei redempti sumus.

X.

Ex eodem etiam fundamento credimus, docemus, & confitemur, filium hominis ad dextram omnipotentis Maiestatis, & virtutis Dei REALITER, hoc est, verè & reipsa, secundum humanam suam naturam, esse exaltatum, cum homo ille in Deus assumptus fuerit, quamprimum in vtero matris à Spiritu sancto est conceptus, eiusq; humanitas iam tum cum filio Dei altissimi personaliter fuerit vnita.

Eamq;

XI.

Eamq̄ Maieſtatem, ratione vnionis
 personalis, ſemper Chriſtus habuit: ſed
 in ſtatu ſuæ humiliatiōis ſeſe exina-
 niuit: qua de cauſa reuerà ætate, ſapi-
 entia, & gratia apud Deum atque homi-
 nes PROFECIT. Quare Maieſtatem
 illam non ſemper, ſed quoties ipſi viſum
 fuit, exeruit: donec formam ſerui, non
 autem naturam humanam, poſt reſur-
 rectionem plenè & prorsus deponeret,
 & in plenariam uſurpationem, manife-
 ſtationem, & declarationem diuinæ ma-
 ieſtatis collocaretur, & hoc modo in
 gloriam ſuam ingrederetur. Itaq̄ iam
 non tantum vt Deus, verum etiam, vt
 homo, omnia nouit, omnia poteſt, om-
 nibus creaturis præſens eſt, & omnia
 quæ in cœlis, in terris, & ſub terra ſunt,
 ſub pedibus ſuis, & in manu ſua habet.
 Hæc ita ſe habere, Chriſtus ipſe teſta-
 tur, inquiring: Mihi data eſt omnis po-
 teſtas in cœlo & in terra. Et Paulus ait:
 Aſcendit ſuper omnes cœlos, vt omnia
 impleat. Hanc ſuam poteſtatem vbique
 præſens exercere poteſt: neq̄ quicquã
 illi aut impoſſibile eſt, aut ignotum.

cc

cc

cc

cc

Iohan. 13.

cc

cc

Matth. 28.

Ephes. 2.

cc

cc

cc

L 2 Inde

eo
 q̄
 oi
 ic
 ta
 iō
 ti
 ia
 ſ
 um
 Dei
 ſt
 ſei
 ſig
 re-
 um
 ſa-
 R,
 nu-
 m,
 rit,
 itu
 tas
 ſo-
 ſig
 illi
 nq̄

Inde adeò, & quidem facilimè, corpus suum verum & sanguinem suum in sacra Cœna præsens distribuere potest. Id verò non fit secundum modum & proprietatem humanæ naturæ: sed secundum modum & proprietatē dextræ Dei: vt Lutherus secundum analogiam fidei nostræ Christianæ in Catechesi comprehensæ, loqui solet. Et hæc Christi in sacra Cœna præsentia neque physica aut terrena est, neq; Capernaitica: interim tamen verissima & quidem substantialis est. Sic enim verba Testamenti Christi sonant: Hoc est, est, est, corpus meum, &c.

Hac nostra fide, doctrina & confessione persona Christi non soluitur: quod olim Nestorius fecit. Is enim veram communicationem Idiomatum seu proprietatum vtriusq; naturæ in Christo negavit, & hac ratione Christi personam soluit: quã rem D. Lutherus in libello suo de Concilijs perspicuè declaravit. Neq; hac pia nostra doctrina duæ in Christo naturæ, earumq; proprietates confunduntur, aut in vnã essentiam

tiam commiscentur : (in quo errore Euty-
tyches fuit) neq; humana natura in per-
fona Christi negatur , aut aboletur : ne-
que altera natura in alteram mutatur.
Sed Christus verus Deus & homo in vna
indivisa persona est, permanetq; in om-
nem æternitatem. Hoc post illud Trini-
tatis summum est mysterium, vt Apo-
stolus testatur : in quo solo tota nostra
consolatio, vita & salus posita est.

1. Tim. 3.

N E G A T I V A.

Contrariæ & falsæ doctri-
næ de Persona Christi re-
iectio.

Repudiamus igitur atq; damnamus
omnes erroneos, quos iam recita-
bimus, articulos : eò quòd verbo Dei
& sinceræ fidei nostræ Christianæ repu-
gnent : cum videlicet sequentes errores
docentur.

I.

Quòd Deus & homo in Christo
non constituent vnam personam : sed
quòd alius sit Dei filius, & alius hominis
filius : vt Nestorius deliravit.

L 3

Quòd

or-
n in
est.
&
se-
træ
iam
nefi
hri-
hy-
ca:
ub-
en-
or-
on-
ur :
ve-
feu
hri-
ber-
li-
cla-
luæ
ta-
en-
am



I I.

Quòd diuina & humana naturæ in vnâ essentiam commixtæ sint, & humana natura in Deitatem mutata sit, vt Eutyches furenter dixit.

I I I.

Quòd Christus non sit verus, naturalis, & æternus Deus: vt Arius blasphemauit.

I I I I.

Quòd Christus non veram humanam naturam anima rationali & corpore constantem habuerit: vt Marcion finxit.

V.

Quòd vnio personalis faciat tantum communia nomina, & communes titulos.

V I.

Quòd phrasis tantum & modus quidam loquendi sit, cum dicitur: Deus est homo, & homo est Deus: siquidem diuinitas nihil cum humanitate, & humanitas nihil cum Deitate REALITER, hoc est, verè & re ipsa, commune habeat.

Quòd

V I I.

Quòd tantùm sit V E R B A L I S ,
 sine re ipsa, Idiomatum communicatio,
 cum dicitur: Filium Dei pro peccatis
 mundi mortuum esse: Filium hominis
 omnipotentem factum esse.

V I I I.

Quòd humana in Christo natura,
 eo modo, quo est diuinitas, facta sit es-
 sentia quædam infinita: & ex hac essen-
 tiali, communicata, in humanam natu-
 ram effusa, & à Deo separata virtute &
 proprietate, eo modo, quo diuina na-
 tura, ubiq; præfens sit.

I X.

Quòd humana natura diuinæ, ra-
 tione substantiæ atq; essentiæ suæ, vel
 proprietatem diuinarum essentialium
 exæquata sit.

X.

Quòd humana natura in Christo,
 in omnia loca cœli & terræ localiter ex-
 pansa sit: quod ne quidem diuinæ na-
 turæ est tribuendum.

X I.
 Quòd Christo impossibile sit, propter humanæ naturæ proprietatem, ut simul in pluribus, quàm in vno loco, nedum vbique, suo cum corpore esse possit.

X I I.

Quòd sola humanitas pro nobis passa sit, nosq; redemerit: & quòd filius Dei in passione nullam prorsus cum humanitate (re ipsa) communicationem habuerit: perinde ac si id negocium nihil ad ipsum pertinuisset.

X I I I.

Quòd filius Dei tantummodò diuinitate sua nobis in terris, in verbo, Sacramentis, in omnibus deniq; ærumnis nostris, præsens sit: & quòd hæc præsentia prorsus ad humanitatem nihil pertineat. Christo enim, postquam nos passione & morte sua redemerit, secundum humanitatem suam nihil amplius nobiscum in terris esse negocij.

X I I I I.

Quòd filius Dei, qui humanam naturam assumfit, iam post depositam serui formam, non omnia opera omnipotentia

tentiæ suæ, in, & cum humanitate sua,
& per eam efficiat, sed tantum aliqua, &
quidem in eo tantum loco, ubi humana
natura est localiter.

X V.

Quòd secundum humanitatem,
Omnipotentiæ aliarumq; proprietatum
diuinæ naturæ prorsus non sit capax:
Idq; asserere audent contra expressum
testimonium Christi: Mihi data est om-
nis potestas in cælo & in terra. Et con-
tradiciunt Paulo, qui ait: In ipso inha-
bitat tota diuinitatis plenitudo corpo-
raliter.

Matth. 28.
Coloss. 2.

X V I.

Quòd Christo secundum humani-
tatem data quidem sit maxima potestas
in cælo & in terra, videlicet, maior &
amplior, quàm omnes Angeli & crea-
turæ acceperint: sed tamen ita, vt cum
omnipotentia Dei nullam habeat com-
municationem: neq; omnipotentia illi
data sit. Itaq; mediam quandam poten-
tiam, inter omnipotentiam Dei, & inter
aliarum creaturarum potentiam, fini-
gunt, datam Christo secundum huma-
nam eius naturam per exaltationem:

L 5 quæ

quæ minor quidem sit, quàm Dei omnipotentia, maior tamen omnium aliarum creaturarum potestate.

X V I I.

Quòd Christo secundum spiritum suum humanum certi limites positi sint, quantum, videlicet, ipsum scire oporteat: & quod non plus sciat, quàm ipsi conueniat, & ad executionem sui officij, iudicis nimirum, necessario requiratur.

X V I I I.

Coloss. 2. Quòd Christus ne hodie quidem perfectam habeat cognitionem Dei, & omnium ipsius operum: Cùm tamen de Christo scriptum sit: In ipso omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos esse.

X I X.

Quòd Christo secundum humanitatis suæ spiritum impossibile sit scire, quid ab æterno fuerit, quid iam nunc ubiq; fiat, & quid in omnem æternitatem sit futurum.

X X.

Matth. 28. Reijcimus etiam, damnamusque, quòd dictum Christi (Mihi data est
omnis

omnis potestas in cœlo & in terra) horribili & blasphema interpretatione à quibusdam deprauatur, in hanc sententiam: quod Christo secundum diuinam suam naturam in resurrectione & ascensione ad cœlos iterum restituta fuerit omnis potestas in cœlo & in terra, perinde quasi, dum in statu humiliationis erat, eam potestatem, etiam secundum diuinitatem, deposuisset & exuisset. Hac enim doctrina non modo verba Testamenti Christi falsa explicatione peruertuntur: verum etiam dudum damnatæ Arianae hæresi via de nouo sternitur: vt tandem æterna Christi diuinitas negetur, & Christus totus, quantus quantus est, vnâ cum salute nostra amittatur: nisi huic impiæ doctrinæ ex solidis verbi Dei & fidei nostræ Catholicæ fundamentis constanter contradicatur.

D. E.

IX.

DE DESCENSU
CHRISTI AD
INFEROS.

Status controuersia.

DISCEPTATVM fuit super hoc articulo inter quosdam Theologos, qui Augustanam Confessionem profitentur: quando, & quomodo Dominus noster Iesus Christus, vt testatur fides nostra Catholica, ad inferos descenderit: an id ante vel post mortem eius factum sit. Præterea quaesitum fuit, num anima tantum, an diuinitate sola, an verò anima & corpore descenderit: idque an spiritualiter, an verò corporaliter sit factum. Disputatum etiam est, num hic articulus ad passionem, an verò ad gloriosam victoriam & triumphum Christi sit referendus.

Cùm autem hic fidei nostræ articulus,

lus, sicut & præcedens, neque sensibus neque ratione nostra comprehendi queat: sola autem fide acceptandus sit: vnanimi consensu consulimus, de hac re non esse disputandum, sed quàm simplicissimè hunc articulum credendum & docendum esse. Atque in hoc negotio sequamur piam D. Lutheri doctrinam: qui hunc articulum in concione Torgæ habita (ANNO &c. XXXIII.) piè admodum explicuit, omnes inutiles & curiosas quæstiones præcidit, atque ad piam fidei simplicitatem omnes Christianos adhortatus est.

Satis enim nobis esse debet, si sciamus, Christum ad inferos descendisse, infernum omnibus credentibus destruxisse, nosque per ipsum è potestate mortis & Satanae, ab aeterna damnatione, atque adeo è faucibus inferni ereptos. Quo autem modo hæc effecta fuerint, non curiosè scrutemur, sed huius rei cognitionem alteri seculo reseruemus: vbi non modo hoc mysterium, sed & alia multa, in hac vita simpliciter à nobis credita, reuelabuntur: quæ captum cæcæ nostræ rationis excedunt.

DE

X.

DE CEREMONIIS ECCLESIASTICIS, QVAE VVLGO
 Adiaphora seu res mediæ
 & indifferentes vo-
 cantur.

QUÆRTA est etiam inter Theologos Augustanæ Confessionis controuersia de ceremonijs seu ritibus Ecclesiasticis: qui in verbo Dei neque præcepti sunt, neque prohibiti: sed ordinis tantùm & decori gratia in Ecclesiam sunt introducti.

Status controuersiæ.

QUÆRITUM fuit, num persecutionis tempore, & in casu confessionis (etiã si aduersarij nobiscum in doctrina consentire nolint) nihilominus salua conscientia aliqua iam abrogatæ ceremoniæ, quæ per se indifferentes, & à Deo neq; mandatæ neq; prohibitæ sint, postu-

postulantibus id & vrgentibus aduersarijs, iterum in vsum reuocari possint: & an hoc modo cum Pontificijs in eiusmodi ceremonijs & adiaphoris conformari rectè queamus. Vna pars hoc fieri posse affirmavit: altera verò negavit.

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina & confessio de hoc articulo.

I.

AD hanc controuersiam dirimendam vnanimi consensu credimus, docemus, & confitemur, quòd ceremoniæ siue ritus Ecclesiastici (qui verbo Dei neq; præcepti sunt, neq; prohibiti, sed tantùm decori & ordinis causa instituti) non sint per se cultus diuinus, aut aliqua saltem pars cultus diuini. Scriptum est enim: Frustra colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum. Matth. 15.

I I.

Credimus, docemus, & confitemur, Ecclesiæ Dei, vbiuis terrarum, & quocunq;

cunq; tempore, licere, pro renata, ceremonias tales mutare: iuxta eam rationem, quæ Ecclesiæ Dei utilissima, & ad ædificationem eiusdem maximè accommodata iudicatur.

I I I.

Ea tamen in re omnem leuitatem fugiendam, & offendicula cauenda: in primis verò infirmorum in fide rationem habendam, & ijs parcendum esse censemus.

1. Cor. 8.
Rom. 14.

I I I I.

Credimus, docemus, & confitemur, quòd temporibus persecutionū, quando perspicua & constans confessio à nobis exigitur, hostibus Euangelij in rebus adiaphoris non sit cedendum: Sic enim Apostolus inquit: Qua libertate Christus nos liberauit, in ea stete, & nolite iterum iugo seruitutis subijci. Et alibi: Nolite iugum ducere cum infidelibus, &c. Quæ enim est societas luci ad tenebras? &c. Item, Quibus neq; ad horam cessimus subiectione: vt veritas Euangelij permaneret apud vos. In tali enim rerum statu non agitur iam amplius de adiaphoris: sed de veritate Euangelij,

Galat. 5.

2. Cor. 6.
Galat. 2.

angelij, & de libertate Christiana facta teſtaq; conſeruanda: & quomodo cauendum ſit, ne manifeſtè Idololatria confirmerur, & infirmi in fide offendantur. In huiusmodi rebus noſtrum certè non eſt, aliquid aduerſarijs largiri: ſed officium noſtrum requirit, vt piam & ingenuam confeſſionem edamus, & ea patienter feramus, quæ Dominus nobis ferenda impoſuerit, & hoſtibus verbi Dei in nos permiferit.

V.

Credimus, docemus & confitemur, quòd Eccleſia alia aliam damnare non debeat, propterea, quòd hæc vel illa plus minùſue externarum ceremoniarum, quas Dominus non inſtituit, obſeruet: ſi modo in doctrina, eiùſq; articulis omnibus, & in vero Sacramentoꝝ uſu ſit inter eas conſenſus. Hoc enim vetus & verum dictum eſt: Diſſonantia ieiunij non diſſoluit conſonantiam fidei.

NEGATIVA.

Falfæ doctrinæ, de hoc articulo, reiectio.

M

Repu-

Repudiamus atque damnamus, hæc
falsa, & verbo DEI contraria
dogmata.

I.
Quòd humanae traditiones & con-
stitutiones, in Ecclesiasticis rebus, per
se, pro cultu Dei aut certè pro parte di-
vini cultus sint habenda.

II.
Quando eiusmodi ceremoniæ &
constitutiones, Ecclesiæ Dei, coactione
quadam, tanquam necessariæ obtrudun-
tur: & quidem contra libertatem Chri-
stianam, quam Ecclesia Christi, in rebus
eiusmodi externis, habet.

III.
Cum asseritur, quòd tempore per-
secutionis, quando clara confessio re-
quiritur, hostibus Evangelij in obser-
vatione eiusmodi rerum adiaphorarum
gratificari, & cum ipsis pacisci & con-
sentire liceat: quæ res cum detrimento
veritatis cœlestis coniuncta est.

IIII.
Cum externæ ceremoniæ, quæ in-
differentes sunt, ea opinione abrogan-
tur,

tur, quasi Ecclesie Dei liberum non sit,
 pro renata, ut iudicauerit ad ædificatio-
 nem utile esse, hanc vel illam ceremo-
 niam, ratione libertatis Christiana,
 usurpare.

XI.

DE ÆTERNA PRÆDESTINATIONE ET ELECTIO-

NE DEI.

DE hoc articulo non quidem
 publicè mota est contro-
 uersia inter Augustanæ
 Confessionis Theologos,
 sed tamen cum hic articu-
 lus magnam pijs mentibus consolatio-
 nem adferat, si rectè & dextrè explicetur:
 visum est eundem in hoc scripto
 declarare: ne fortè temporis progressu
 disputationes aliquæ cum offendiculo
 coniunctæ de hac re exoriantur.

M

2

AFFIR.

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina de hoc
articulo.

I I I.

Primum omnium est, quod accuratè
obseruari oportet: discrimen esse
inter Præscientiam, & Prædestinatio-
nem, siue æternam electionem Dei.

I I.

Præscientia enim Dei nihil aliud est,
quàm quòd Deus omnia nouerit, ante-
quam fiant, sicut scriptum est: Est Deus
in cælo, reuelans mysteria, qui indica-
uit tibi Rex Nabuchodonosor, quæ
ventura sunt in nouissimis temporibus.

Daniel. 2.

I I I.

Hæc Dei præscientia simul ad bo-
nos & malos pertinet: sed interim non
est causa mali: neque est causa peccati,
quæ hominem ad scelus impellat. Pec-
catum enim ex diabolo, & ex hominis
praua & mala voluntate, oritur. Neque
hæc Dei præscientia causa est, quòd ho-
mines pereant: hoc enim sibi ipsis im-
putare debent. Sed præscientia Dei di-
sponit

sponit malum, & metas illi constituit, quousque progredi & quam diu durare debeat, idque eò dirigit, ut licet per se malum sit, nihilominus electis Dei ad salutem cedat.

I I I I.

Prædestinatio verò, seu æterna Dei electio, tantum ad bonos, & dilectos filios Dei pertinet; & hæc est causa ipsorum salutis. Etenim eorum salutem procurat, & ea quæ ad ipsam pertinent, disponit. Super hanc Dei prædestinationem salus nostra ita fundata est, ut inferorum portæ eam euertere nequeant.

Iohan. 10.
Matth. 16.

V.
Hæc Dei prædestinatio non in arcano Dei consilio est scrutanda, sed in verbo Dei, in quo reuelatur, quærenda est.

V I.

Verbum autem Dei deducit nos ad Christum: is est Liber ille vitæ, in quo omnes inscripti, & electi sunt, qui salutem æternam consequuntur. Sic enim scriptum est: Elegit nos in Christo, ante mundi constitutionem.

Ephes. 1.

M 3

Christus

V I I.

Christus verò omnes peccatores ad se vocat, & promittit illis leuationem. Et seriò vult, vt omnes homines ad se veniant, & sibi consuli & subueniri fiant. His sese redemptorem in verbo offert: & vult, vt verbum audiatur, & vt aures non obturentur, nec verbum negligatur & contemnatur, Et promittit se largiturum virtutem & operationem Spiritus sancti, & auxilium diuinum, vt in fide constantes permaneamus, & vitam æternam consequamur.

V I I I.

De nostra igitur electione ad vitam æternam, neq; ex rationis nostræ iudicio, neq; ex lege Dei iudicandum est: ne vel dissolutæ & Epicuræ vitæ nos tradamus, vel in desperationem incidamus. Qui enim rationis suæ iudicium in hoc negotio sequuntur, in horum cordibus hæ perniciosæ cogitationes (quibus ægerrimè resistere possunt) excitantur: si (inquiunt) Deus me ad æternam salutem elegit, non potero damnari, quicquid etiam designaui. Contrà verò, si non sum electus ad vitam æternam,

nam, nihil planè mihi profuerit, quan-
 tumcumq; boni fecero: omnes enim co-
 mpatas mei irriti erunt.

I X.

Vera igitur sententia de Prædestina-
 tione ex Euangelio Christi discenda est.
 In eo enim perspicuè docetur, quòd
 Deus omnes sub incredulitatem con-
 cluserit, vt omnium misereatur: & quòd
 nolit quenquam perire: sed potius vt
 omnes conuertantur, & in Christum
 credant.

Rom. 11.

Ezech. 18.

33.

1. Ioh. 2.

X.

Qui igitur voluntatem Dei reuela-
 tam inquirunt, eoq; ordine progredi-
 untur, quem D. Paulus in Epistola ad
 Romanos secutus est (qui hominem
 prius deducit ad pœnitentiam, ad agni-
 tionem peccatorum, ad fidem in Chri-
 stum, ad obedientiam mandatorum Dei,
 quam de aeternæ prædestinationis my-
 sterio loquatur) ijs doctrina de præde-
 stinatione Dei salutaris est, & maximam
 consolationem affert.

X I.

Quòd verò scriptum est: multos qui-

M 4

dem

2. Pet. 2.
Luc. 11.
Hebr. 12.

dem vocatos, paucos verò electos esse: non ita accipiendum est, quasi Deus nolit, vt omnes saluentur: sed damnationis impiorum causa est, quòd verbum Dei aut prorsus non audiant, sed contumaciter contempnant, aures obturent, & cor indurent, & hoc modo spiritui sancto viam ordinariam præcladant, vt opus suum in eis efficere nequeat: aut certè quòd verbum auditum floccipendant, atq; abijciant. Quòd igitur pereunt, neq; Deus neq; ipse electio, sed malitia eorum in culpa est.

X I I.

Huc vsq; homo pius in meditatione articuli de aterna DEI electione tutò progredi potest: quatenus, videlicet, ea in verbo Dei est reuelata. Verbum Dei enim nobis Christum, Librum vitæ, proponit: is nobis per Euangelij prædicationem aperitur & euoluitur, sicut scriptum est: Quos elegit, hos vocauit. Rom. 8. In Christo igitur electio aterna Dei patris est quaerenda. Is in aeterno suo consilio decreuit, quòd præter eos, qui filium eius Iesum Christum agnoscunt & in eum verè credunt, neminem saluum facere

facere velit. Reliquæ cogitationes ex animis piorû penitus excutiendæ sunt: quia non à Deo, sed ex afflatu Satanæ proficiuntur: quibus humani generis hostis hoc agit, vt dulcissimam illam consolationem vel eneruet, vel penitus e medio tollat, quam ex saluberrima hac doctrina haurire possumus: qua videlicet certi reddimur, quòd mera gratia, sine vllò nostro merito, in Christo ad vitam æternam electi simus: & quod nemo ex ipsius manibus rapere nos possit. Et hanc clementissimam electionem non nudis verbis, sed interposito iureiurando Dominus contestando confirmavit, & venerabilibus Sacramentis nobis ob signavit: quorum in summis tentationibus meminisse, & ex ijs consolationem petere debemus, vt ignita diaboli tela extinguamus.

X I I I.

Interim tamen summo studio in eo elaboremus, vt ad normam voluntatis diuinæ vitam nostram instituamus, & vocationem nostram (vt D. Petrus loquitur) firmam faciamus: neq; à Dei reuelato verbo latum vnguem recedamus: illud enim nunquam nos fallat.

M 5

Hac

Hac breui explicatione aeternae electionis diuinae, honos suus Deo plene & in solidum tribuitur: quod videlicet secundum voluntatis suae propositum, mera misericordia, sine vlllo nostro merito saluos nos faciat. Neque tamen hac doctrina vel grauioribus illis animi perturbationibus, & pusillanimitati, vel Epicurismo ansa praebetur.

NEGATIVA.

Falsae doctrinae, de hoc articulo, reiectio.

CRedimus igitur & sentimus, quando doctrina de electione Dei ad vitam aeternam, eo modo proponitur, vt perturbatae piaer mentes ex ea consolationem nullam capere queant: sed potius per eam in animi angustias aut desperationem conijciantur: aut impoenitentes in dissoluta sua vita confirmentur: quod articulus hic non ad normam verbi & voluntatis Dei, sed iuxta humanae rationis iudicium, & quidem impulsu Satanae male & perperam tractetur.

Actur. Quaecunque enim scripta sunt
 (inquit Apostolus) ad nostram doctri- Rom. 15.
 nam scripta sunt: ut per patientiam &
 consolationem scripturarum spem ha-
 beamus. Reijcimus itaq; omnes, quos
 iam enumerabimus, errores.

I.
 Quòd Deus nolit, ut omnes homi-
 nes pœnitentiam agant, & Euangelio
 credant.

II.
 Quando Deus nos ad se vocat, quòd
 non ferio hoc velit, ut omnes homines
 ad ipsum veniant.

III.
 Quòd nolit Deus, ut omnes saluen-
 tur: sed quòd quidam, non ratione
 peccatorum suorum, verùm solo Dei
 consilio, proposito, & voluntate, ad
 exitium destinati sint, ut prorsus salu-
 tem consequi non possint.

IIII.
 Quòd non sola Dei misericordia, &
 sanctissimū Christi meritum, sed etiam
 in nobis ipsis aliqua causa sit electio-
 nis

nis diuinæ, cuius causæ ratione Deus nos ad vitam æternam elegerit.

Hæc dogmata omnia falsa sunt, horrenda & blasphema: ijsq; pijs mentibus omnis prorsus consolatio eripitur, quam ex Euangelio & Sacramentorum vsu capere deberent: & idcirco in Ecclesia Dei nequaquam sunt ferenda.

Hæc breuis est & simplicissima articulorum controuersorum explicatio, de quibus inter Theologos Augustanæ Confessionis aliquandiu disceptatum & discrepantibus inter se sententijs disputatum est. Et ex hac declaratione homo pius quantumuis simplex, secundum analogiam verbi Dei, & Catechismi simplicem doctrinam deprehendere potest, quid verum sit, quid falsum. Non enim tantummodò sincera doctrina disertè est recitata, verùm etiam contraria & falsa doctrina repudiata est, & reiecta: & controuersiæ illæ, offenculorum plenæ, solidè sunt decisæ atq; dijudicatæ.

Faxit Deus omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi, vt per gratiam Spiritus

Spiritus sancti omnes in ipso consen-
tientes & concordēs simus, atq; in con-
sensu pio, qui ipsi probetur, constanter
perseueremus, Amen.

XII.

DE ALIIS HÆ-
RESIBVS ET SECTIS,
QVÆ NVNQVAM AVGV-
stanam Confessionem sunt
amplexæ.



NE tacita cogitatione hæreses il-
læ & sectæ nobis tribuantur,
propterea, quòd earum in com-
memorata declaratione expref-
sam mentionem non fecimus: visum est
articulos earum ad calcem (vt dicitur)
huius scripti nudè recitare, in quibus
nostri temporis hæretici à veritate dis-
sentiunt, & sinceræ nostræ religioni &
confessionem contrarium docent.

ERROR-

ERRORES ANABA BAPTISTARVM.

A Nabaptistæ in multas sectas sunt diuisi: quarum aliæ plures, aliæ pauciores errores defendunt. Generatim tamen omnes talem doctrinam profitentur, quæ neq; in Ecclesia, neq; in Politia, neq; in Oeconomia tolerari potest.

Articuli Anabaptistici, qui in Ecclesia ferri non possunt.

I.
Quod Christus carnem & sanguinem suum non è Maria virgine assumserit, sed è cælo attulerit.

II.
Quod Christus non fit verus Deus: sed tantummodò cæteris sanctis sit superior, quia plura Spiritus sancti dona acceperit, quàm alius quispiam homo sanctus.

III.
Quod iusticia nostra coram Deo,
non

non in solo Christi merito, sed in reno-
uatione atq; a deo in nostra propria pro-
bitate, in qua ambulemus, consistat. Ea
verò Anabaptistarum iusticia magna
ex parte electitia, & humanitùs excogi-
tata quadam sanctimonia constat, & re-
uerà nil aliud est, quàm nouus quidam
Monachatus.

IIII.

Quòd infantes non baptizati, co-
ràm Deo non sint peccatores, sed iusti
& innocentes: & in illa sua innocentia,
cùm vsum rationis nondum habeant,
sine baptismo (quo, videlicet, ipsorum
opinionem non egeant) salutem conse-
quantur. Et hoc modo reiiciunt totam
de peccato Originali doctrinam, reli-
qua etiam, quæ ex ea dependent.

V.

Quòd infantes baptizandi non sint,
donec vsum rationis consequantur, &
fidem suam ipsi profiteri possint.

VI.

Quòd Christianorum liberi eam
ob causam, quia parentibus Christianis
& fidelibus orti sunt (etiam præter &
ante

ante susceptum baptismum) reuera san-
 & in filiorum Dei numero sint ha-
 bendi. Quae de causa etiam neque Pædo-
 baptismum magnificiunt, neque id ope-
 ram dant, ut infantes baptizentur: Quod
 Genes. 17. cum expressis verbis promissionis di-
 uinae pugnat: ea enim tantum ad eos
 pertinet, qui foedus Dei obseruant, il-
 ludque non contemnunt.

V I I.

Quòd ea non sit vera & Christiana
 Ecclesia, in qua aliqui adhuc peccato-
 res reperiuntur.

V I I I.

Quòd conciones non sint audien-
 dae vllae, in ijs templis, in quibus ali-
 quando Missae Pontificiae sunt celebratae.

I X.

Quòd homo pius nihil prorsus
 commercij habere debeat cum Ecclesiae
 ministris, qui Euangelion Christi iuxta
 Augustanae Confessionis sententiam
 docent, & Anabaptistarum conciones
 ac errores reprehendunt: & quod eius-
 modi Ecclesiae ministris neque seruire,
 neque operam locare liceat: sed quòd
 ijdem

ijdem vt peruersores verbi diuini vitan-
di & fugiendi sint.

Articuli Anabaptistici, qui in politia sunt intolerabiles.

I.

Quòd Magistratus officium nō sit
sub nouo Testamento genus vi-
tæ, quod Deo placeat.

II.

Quòd homo Christianus salua &
illæsa conscientia officio Magistratus
fungi non possit.

III.

Quòd homo Christianus illæsa con-
scientia officium Magistratus, rebus ita
ferentibus, aduersus improbos admini-
strare & exequi, & subditi potestatem illam,
quam Magistratus à Deo accepit, ad de-
fensionem implorare non possint.

IIII.

Quòd homo Christianus sana con-
scientia iusurandum præstare, & iuramē-
to interposito, obedientiam & fidem suo
principi aut Magistratui promittere ne-
queat.

V.

Quòd Magistratus sub nouo Te-
stamen-

N

stamen-

stamento, bona conscientia homines facinorosos capitali supplicio afficere non possit.

Articuli Anabaptistici,
qui in Oeconomia ferri non
possunt.

I.

Quòd homo pius non possit conscientia salua proprium tenere & possidere: sed quòd is, quicquid omnino facultatum habeat, id totum in comune conferre debeat.

II.

Quòd homo Christianus illesa conscientia, neque cauponaria neque mercaturam exercere, aut arma conficere possit.

III.

Quòd coniugibus, propter diuersam religionem diuortium facere, & cum alia persona, quæ in religione non dissentiat, matrimonium contrahere liceat.

ERRORES SCHVVENCO-
FELDIANORVM.

Quòd omnes illi, qui Christum secundum

cundum carnem, creaturam esse dicunt,
non habeant veram regnantis cœlestis
Regis agnitionem.

II.

Quòd caro Christi per exaltatio-
nem eo modo omnes proprietates diui-
nas acceperit, vt Christus quatenus ho-
mo est, potentia, virtute, maiestate, glo-
ria, Patri & τοῦ λόγου, per omnia, in gradu
& statu essentiæ, omninò æqualis sit: ita,
vt iam vtriusq; in Christo naturæ vna sit
essentia, eadem proprietates, eadem vo-
luntas, eademq; gloria: & quòd caro
Christi ad sacrosanctæ Trinitatis essen-
tiam pertineat.

III.

Quòd ministerium verbi, prædicatum
& auditu perceptum verbum, non sit in-
strumētum illud, per quod Deus Spiritus
sanctus homines doceat, salutaremq;
Christi agnitionem largiatur, & conuer-
sionem, veram pœnitentiam, fidem &
nouam obedientiam in ipsis efficiat.

IIII.

Quòd aqua baptismi non sit medi-
um, per quod Dominus adoptionem in
filijs Dei obsignet, & regenerationem
efficiat.

N 2

Quòd

V. Quòd panis & vinum in sacra Cœ-
na non sint organa, per quæ & cum qui-
bus Christus corpus & sanguinem suam
distribuat.

VI. Quòd homo pius, verè per spiritum
Dei regeneratus, Legem Dei in hac vita
perfectè seruare & implere valeat.

VII. Quòd non sit vera Ecclesia Christi,
in qua non vigeat publica excommuni-
catio, & solennis aliquis excommunica-
tionis modus, seu, vt vulgo dicitur, pro-
cessus ordinarius.

VIII. Quòd is Ecclesiæ minister alios ho-
mines cum fructu docere, aut vera Sa-
cramenta dispensare non possit, qui
ipse non sit verè renouatus, renatus, &
verè iustus.

ERROR NOVORVM
ARIANORVM.

Q. Vòd Christus non sit verus, sub-
stantialis, naturalis Deus, eiu-
dem cum Patre & Spiritu sancto essentia:
sed

sed diuina tantum Maieftate ita cum Patre ornatus, vt Patre fit inferior.

ERROR ANTITRINITARIORVM.

HÆc prorsus noua est hæresis, quæ antehac Ecclesijs Christi ignota fuit, eorum videlicet, qui opinantur, docent, & profitentur, non esse vnicam tantum diuinam & æternam Patris, Filij, & Spiritus sancti essentiam: sed quemadmodum Pater, Filius, & Spiritus sanctus tres sunt distinctæ personæ: ita vnamquamque personam habere distinctam, & à reliquis personis diuinitatis separatam essentiam. Et horum alij sentiunt quòd singulæ personæ in singulis essentijs æquali sint potestate, sapientia, maieftate, & gloria: sicut aliàs tres numero differentes homines, ratione essentia suæ, sunt à se inuicem disiuncti & separati. Alij sentiunt tres illas personas & essentias ita inæquales esse, ratione essentia & proprietatum, vt solus Deus Pater verus sit Deus.

Hos, atq; his similes errores omnes, & eos etiam, qui ab his dependent, & ex his consequuntur, reijcimus atq; damna-

N 3 mus?

mus: utpote, qui falsi sint atque haeretici,
 & qui verbo Dei, tribus approbatis
 Symbolis, Augustanae Confessioni, eius-
 dem Apologiae, Smalcaldicis articulis,
 & Catechismis Lutheri repugnent:
 quos etiam errores omnes pij, summi
 atque infimi, cauere & vitare debent: nisi
 aeternae suae salutis iacturam facere ve-
 lint.

QVOD autem haec sit omnium no-
 strum fides, doctrina & confessio (de
 qua in nouissimo illo die, iudici Domi-
 no nostro IESU CHRISTO ratio-
 nem reddere parati sumus:) & quod
 contra hanc doctrinam nihil vel occul-
 te vel aperte dicere aut scribere, sed per
 gratiam Dei in ea constanter perseuera-
 re velimus: in eius rei fidem, re bene
 meditata, in vero DEI timore & inuo-
 catione nominis eius, hanc epito-
 men proprijs manibus
 subscripsimus.

LECTO

LECTORI.

CUM vacarent pagelle, visum est adijcere septendecim articulos, quos D. Lutherus de sententia Inclyti Electoris Saxonie, &c. Anno 1530. antequam ad comitia Augustana iretur, scripsit, ut secundum illos Confessio Imperatori Auguste offerenda adornaretur, id quod etiam factum est.

Articulus primus.

QUOD constanter & magno consensu apud nos doceatur, unicum solum esse verum Deum, creatorem cœli & terræ, ita, ut in hac unica, vera diuina essentia tres sint distinctæ personæ, videlicet, DEVS PATER, DEVS FILIVS, DEVS SPIRITVS SANCTVS. Et quod Filius à Patre natus ab æterno, sit verè & natura Deus cum Patre: Et quod Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens ab æterno, sit verè & natura Deus cum Patre & Filio, Sicut hæc omnia per Scripturam clarissimè & firmissimè demonstrari possunt, Iohan. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat illud Verbum, omnia per ipsum facta sunt. Matth. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes

N 4 eos in



eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et plura similia dicta, præcipuè in Euangelio Iohannis.

Secundus.

Quòd solus **FILIVS DEI**, verus homo factus sit, conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, perfectus homo, corpore atq; anima constans, & non Pater, vel Spiritus sanctus homo factus sit, vt Heretici Patropassiani finxerunt, & quòd Filius non tantum corpus absq; anima assumerit, vt Appollinariuserruit. Nam Christus ipse in Euangelio sæpe meminit animæ suæ, cùm inquit: Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Quòd autem Deus Filius homo factus sit, Ioh. 1. clarè his verbis scriptum est: Verbum caro factum est. Galat. 4. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere.

Tertius.

Quòd Filius Dei, verus Deus & homo Iesus Christus, sit vna indissolubilis persona, pro nobis hominibus passus, crucifixus, mortuus, sepultus, tertia die à mortuis resurrexerit, ascēderit ad cælum, & sedeat ad dexteram Dei, Domi-
nus

nus omnium creaturarum, ita ut nemo
 credere vel docere possit aut debeat,
 quod Iesus Christus tanquam homo,
 aut humana eius natura tantum pro no-
 bis passa sit, sed cum Deus & homo, non
 duæ, sed inseparabilis vna persona sint,
 credendum ac docendum est, quod De-
 us & homo, vel Dei Filius verè pro no-
 bis passus sit, ut Paulus Rom. 8. inquit:
 Deus proprio suo Filio non pepercit, sed
 pro nobis omnibus tradidit eum. 1. Cor.
 2. Si cognouissent dominum, gloriae, non
 crucifixissent. Et similia dicta plura.

Quartus.

Quod peccatum Originis verè sit
 peccatum, & non solum imbecillitas vel
 defectus, sed tale peccatum, quod omnes
 homines ab Adam propagatos conde-
 mnat, & à Deo in perpetuum separat,
 nisi Christus, pro nobis intercedens, hoc
 peccatum cum cæteris inde profluenti-
 bus, in se deriuatum passione sua expi-
 aisset, & penitus sublatum in seipso dele-
 uisset, ut Psal. 51. & Rom. 5. de hoc pec-
 cato clarè scribitur.

Quintus.

Cum igitur omnes homines pecca-

N 5 tores

tores sint, peccato, morti ac Diabolo obnoxij, impossibile est hominem suis viribus aut bonis operibus se inde liberare, & coram Deo iustificari: Imò ne quidem se præparare, aut adplicare potest ad iustitiam, sed quò plura suscipit, vt se ipse inde liberet, eò peius sibi consulit.

Vnicum verò medium est consequēdæ iustitiæ, ac liberationis à peccato & morte, sine omni merito & opere nostro, credere in Filium Dei pro nobis passum, &c. Hæc fides est nostra iustitia. Nam Deus iustos, innocentes & sanctos reputat atq; censet, & remissione peccatorum, ac vita æterna donat omnes illos, qui hanc fidem in Filium ipsius habent, quòd propter Filium in gratiam recipiantur, ac Filij Dei fiant: sicut hæc omnia S. Paulus & Iohannes in suis scriptis opulenter docent. Ioh. 3. Vt omnis qui credit in Filium, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Sextus.

Quòd hæc fides non sit humanum opus, nec proprijs viribus eã consequi quisquam possit, quia Dei opus & donum est, quod Spiritus sanctus per
Chri-

Christum donatus in nobis operatur. Et hec fides cum non inanis & falsa persuasio cordis sit, qualem Hypocrita habet, sed efficax, noua & uia res, multos fructus & opera bona profert erga Deum, laudando, gratias agendo, inuocando, docendo, prædicando, proximum diligendo, iuuando consilio, opera, elemosynis, mutationibus, & aduersa tolerando usque ad mortem.

Septimus.

Vt hanc fidem consequamur, institutum est à Deo ministerium docendi Euangelij. Nam per Euangelium Deus hanc fidem, eiusque efficaciam, fructus & commoda nobis annunciari vult, & per Euangelium tanquam per medium seu instrumentum, efficit fidem suo sancto Spiritu, ubi & quando ipsi visum est: alioquin nullum est medium aliud, modus ac via fidem consequendi. Nam omnes cogitationes extra vel ante verbum prædicatum, quantumuis sanctæ & bonæ videantur, mera mendacia & errores sunt.

Octauus.

Huic prædicationi verbi adiūxit Deus
exter-

externa signa, quæ Sacramenta nominantur, videlicet, Baptismum & Eucharistiã, per quæ etiã vnà cum verbo Deus fidem & Spiritum suum donat, & confirmat omnes ad se confugientes.

Nonus.

Quòd Baptismus primum signum seu Sacramentum in duabus rebus consistat, nempe aqua & verbo Dei, seu vt aqua baptizentur homines, & verbũ Dei vnà pronũcietur. Nec tantum est vulgaris aqua in Baptismo, (sicut Baptismi blasphematores iam docent) sed cùm verbum Dei aquæ adiunctum sit, & Baptismus in verbo Dei fundetur, sancta, viuifica, & efficax ablutio est, ac vt Paulus Tit. 3. Et Eph. 5. scribit, Lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus sancti. Et quòd Baptismus etiam infantibus porrigi & communicari debeat.

Verbum autem Dei, quo fundatur Baptismus, Matth. 28. extat: Euntes baptizate in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti. Matth. 16. Quisquis crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.

Decimus.

Quòd in Eucharistia seu Sacramento al-

to altaris, etiam verè præfens fit in pane & vino verum corpus, ac sanguis Christi secundum verba: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Nec tantum fit panis & vinum, vt nunc quidam aduersarij contendunt. Flagitant etiã hæc verba & conferunt fidem, & exuscitant eam in omnibus, qui hoc Sacramentum seriò petunt, nec contra illud agunt, sicut & Baptismus, cum petitur, fidem affert & largitur.

Vndecimus.

Quod confessio priuata non sit legibus extorquenda, sicut nec Baptismus, Cœna & Euangelium vi extorqueri debent: Sed sit libera, ita tamen, vt sciamus, quàm sit salutaris ac necessaria afflictis conscientijs propter absolutionem, hoc est, verbum & iudicium Dei, quod in ea pronunciat, quo conscientia à peccatis liberatur, & pacata & tranquilla efficitur. Quòd etiam nõ necessarium sit omnia peccata enumerare, sed illa tantum indicari possint, quibus cor maximè angitur & mordetur.

Duodecimus.

Quod vna sancta Catholica Ecclesia in

sia in terris sit & maneat vsq; ad finem
 mundi, sicut Christus inquit, Matth. 28.
 Ecce ego sum vobiscū vsq; ad consum-
 mationem mundi. Est autem hæc Eccle-
 sia nihil aliud, quàm cœtus credentium
 in Christū, qui hosce articulos vera fide
 seruant & profitentur, & propterea in
 mundo persecutionem ac martyria pa-
 tiuntur. Nam vbi Euangelium purè do-
 cetur, & Sacramenta legitimè admini-
 strantur, ibi certò est vera Ecclesia, quæ
 nequaquam certis legibus & externa
 pompa certo loco ac tempore, personis
 vel gestibus alligata est.

Decimus tertius.

Quòd Dominus Iesus Christus in
 nouissimo die venturus sit ad iudican-
 dum viuos & mortuos, vt credentes ab
 omni malo liberatos vita æterna donet,
 incredulos verò atq; impios pœnis affi-
 ciat, & cum Diabolis in inferno æternis
 cruciatibus puniat.

Decimus quartus.

Quòd interea, donec Dominus ad
 iudicium veniat, & omnem potestatem
 ac dominationem abroget, Magistratus
 politicus honore affici, & obedientia
 ipsi

ipso præstari debeat, velut status à Deo ipso ordinatus ad defendendos bonos & coërcendos malos.

Quòd in tali statu Christianus legitimè vocatus absq; periculo iacturæ, fidei ac salutis animæ, bene viuere & seruire possit.

Decimus quintus.

Ex his omnibus sequitur, doctrinam qua Sacerdotibus & Ecclesiasticis coniugium & vsus carnum prohibetur, cum tota vita ac votis Monachorù, (cum per ea Dei gratia & salus animæ impediatur, nec libera permittantur) impiã & diabolicam esse, vt Paulus 1. Tim. 4. eam nominat, cum solus Christus vnica via sit ad gratiam, & animarum salutem.

Decimus sextus.

Quòd præ omnibus cæteris abominationibus Missa, quæ hactenus sacrificium & bonum opus iudicata fuit, quo alijs gratia Dei & salus impetretur, abroganda sit: Et loco illius, diuina ordinatio distribuendi Sacramentum corporis & sanguinis Christi sub vtraque specie, cuilibet ad fidei suæ propriæ
confir-

confirmationem & propriam consolationem cuique necessariam, retinenda & celebranda sit.

Decimus septimus.

Quòd Ceremoniæ Ecclesiasticæ, pugnantibus cum verbo Dei, abolendæ sint, cæteræ autem liberæ permittendæ, ut ijs vel utamur vel non utamur, secundum normam dilectionis, ne leuiter absque graui causa scandalum alijs præbeatur, & communis tranquillitas sine necessitate turbetur.

F I N I S.




L I P S I Æ,
Excudebat Georgius Defner.

A N N O

M. D. LXXV.

a
t,
js
m
ie







9
2918

XII. 64M

37





B.I.G.

Farbkarte #13

AVGVSTA^a NA CONFESSIO

Anno 1530. Imperatori
Carolo V. oblata.
invariata
Et:

Epitome ac declaratio

ARTICVLORVM, DE QUI-
BVS PASSIM CONTRO-
uersiæ fuerunt: ex libro Christianæ
Concordiæ desumpta, & in vsum Pastorum,
Magistrorum & discipulorum in scholis
illustribus atque vrbicis peculiari-
ter & seorsim

edita. per Nic. Seluicium.



I 5

8 5+

LIPSIÆ,
CVM PRIVILEGIO.

M. G. O. Levin